





I.
F. 163.














PRAXES
VARIÆ
PRO PIIIS SA-
CERDOTIBVS
CELEBRATURIS.

Ex diversis impressis opus-
culis huc comportatæ, quarum una
vel pluribus Sacerdos pro deo
votione temporis opportu-
nitate uti potest,

*Quæ etiam à non Sacerdotibus, maxime
verò Communicantibus paucis mu-
tatis adhiberi possunt.*

Prodierunt primò cum approbatione
Superiorum Hanoveræ. Nunc
verò emendatæ & auctæ.

Colonia Agrippina.

Sumptibus Hæredum JOANNIS
WIDENFELT & GODEFRI-
DI de BERGES.
NO M. DC. LXXXVb

P. 17 A. 17

V. A. R. I. E.

P. R. O. P. I. S. 2. A.

G. E. A. R. D. I. B. V. S.

V. A. R. I. E.

P. R. O. P. I. S. 2. A.

G. E. A. R. D. I. B. V. S.

V. A. R. I. E.

P. R. O. P. I. S. 2. A.

G. E. A. R. D. I. B. V. S.

V. A. R. I. E.

P. R. O. P. I. S. 2. A.

G. E. A. R. D. I. B. V. S.

V. A. R. I. E.

P. R. O. P. I. S. 2. A.

G. E. A. R. D. I. B. V. S.


V. A. R. I. E.

P. R. O. P. I. S. 2. A.

G. E. A. R. D. I. B. V. S.

V. A. R. I. E.





ORATIO PRÆPARATORIA AD
CONFESSIONEM.

Admonitio S. Pauli.

RObet autem seipsum
homo : Et sic de pa-
ne illo edat, & de ca-
lice bibat. Qui enim
manducat & bibit
indignè, iudicium sibi manducat &
bibit, non dijudicans Corpus Domini.
1. Cor II.

*Oratio ante Confessionem Sa-
cramentalem.*

Suscipe Confessionem meam, piis-
sime ac clementissime Domine
Jesu Christe, unica Spes salutis animæ
meæ : Et da mihi obsecro contritio-
nem Cordis, & lachrymas Oculis
neis, ut defleam diebus ac noctibus,
omnes negligentias meas cum humi-
litate

A 2

litate

4 *Oratio preparatoria ad Conf.*
litate, & puritate Cordis. Appropina-
quet oratio mea in conspectu tuo
Domine. Si iratus fueris contra me,
quem adiutorem quæram? Quis mi-
serebitur iniquitatibus meis? Memen-
to mei Domine, qui Chananæam &
Publicanum vocasti ad pœnitentiam,
& Petrum lachrymantem suscepisti.
Domine Deus meus suscipe preces
meas. Salvator mundi Jesu bone,
qui te Crucis morti dedisti, ut pecca-
tores salvos faceres! Respice me mise-
rum peccatorem invocantem nomen
tuum: & noli sic attendere malum
meum, ut obliviscaris bonum tuum.
Et si commisi unde me damnare po-
tes, tu non amisisti, unde salvare so-
les. Parce ergo mihi qui es Salvator
meus, & miserere peccatrici animæ
meæ. Solve vincula ejus, sana vul-
nera. Domine Jesu te desidero, te
quæro, te volo, ostende mihi faciem
tuam, & salvus ero. Emitte igitur
piissime Domine, meritis purissimæ
& immaculatæ semper Virginis Ge-
nitricis tuæ Mariæ, & Sanctorum tuor-
um, lucem tuam & veritatem tuam
in

Oratio preparatoria ante Conf. ¶
in animam meam, quæ omnes defe-
ctus meos in veritate mihi ostendat,
quos confiteri me oportet atque ju-
vet, & doceat ipsos plenè & contrito
corde explicare. Qui vivis & reg-
nas cum Deo Patre in unitate Spiri-
tus sancti Deus, per omnia sæcula sæ-
culorum, Amen.

Oratio post Confessionem.

Sit tibi Domine, obsecro, meritis
beatæ semper Virginis Genitricis
tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum
grata & accepta ista Confessio mea :
& quidquid mihi defuit nunc & aliàs
de sufficientia contritionis, de puritate
& integritate Confessionis, suppleat
pietas & misericordia tua : & secun-
dum illam digneris me habere pleni-
ùs & perfectius absolutum in cælo.
Qui vivis & regnas, &c.

*Cui subiunges utiliter ad actum con-
tritionis complendum, & expel-
lendas reliquias peccatorum*

Amplius, amplius lava me Domi-
ne, ab iniquitate mea, & à pecca-

6 *Ad actum contrit. & expellendas*
to meo munda me, quoniam iniqui-
tatem meam ego cognosco, & pecca-
tum meum contra me est semper. Li-
cet enim, per misericordiam tuam
magnam, jam deleveris illud; resistit
tamen adhuc, & repugnat mihi in re-
liquis suis execrabilibus, & scandalis
pessimis: quæ utinam auferas à cor-
de meo! ne propter illa amplius æter-
næ Pulchritudini tuæ displiceam, im-
mensam Bonitatem tuam offendam,
infinitam amabilitatem tuam derelin-
quam.

Ecce enim in iniquitatibus con-
ceptus sum, & in peccatis concepit me
mater mea, exinde verò multiplicatæ
sunt iniquitates meæ super capillos
capitis mei, comprehenderunt me, &
non potui ut viderem. Tu verò De-
us meus, scis omnem insipientiam
meam, & delicta mea à te non sunt
abscondita: observasti omnes semi-
tas meas, vestigia pedum meorum
considerasti: parce ergo peccatis meis,
& delicta juventutis meæ, & igno-
rantias meas ne memineris. Delicta
quis intelligit? quis detestatur ea,
quan-

Reliquias peccatorum. 7

quantum detestabilia sunt, nisi tu solus? ideo ab oculis meis munda me Domine. Tu, qui nosti corda omnium, & veritatem dilexisti; scis quod in vero & sincero corde cogitavi pro peccato meo, & injustitiam meam non abscondi: Sed in corde contrito, & humiliato, & non in labiis dolosis, delictum meum cognitum tibi feci, & ei, quem loco tuo in terra statueras, ut remitteret mihi, annunciavi illud. Erue ergo animam meam de omni angustia, & à pusillanimitate Spiritûs custodi me: reâde mihi lætitiâ salutaris tui & dilata cor meum, ut curram viam mandatorum tuorum.

Pœnas commerui multas, & magnas sed tu Domine, cui proprium est misereri & parcere, remitte mihi, præsertim eas, quos in punitionem peccatorum meorum, gratias & favores tuos mihi subtraheres: si enim arguere me & corripere vis, ne sic in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, & ne projicias me à facie tua.

§ *Ad actum contrit. & expellendas*
& Spiritum sanctum tuum ne auferas
à me ? Sed potius hic ure, hic seca,
hic nihil mihi parcas, ut non desit mi-
hi gratia tua sed ut in æternum par-
cas.

Obversantur etiamnum cogitatio-
nibus meis imagines & species exe-
crabiles antiquorum meorum peccat-
orum; & novorum femina, de ven-
tre memoriæ meæ, tanquam rectus
fædissimi, ascendunt in cor meum.
Tu ergo cor mundum crea in me De-
us. Contraxi habitus, & consuetu-
dines pravas, quæ sicut onus grave,
gravatæ sunt super me, & incurvave-
runt animam meam: Sed tu Do-
mine, spiritum rectum innova in vis-
ceribus meis.

Inimicus meus Domesticus, caro
concupiscens adversus Spiritum, Ty-
rannus pessimus, tot victoriis auctus,
confortatus est super me: defecit
virtus mea, & lumen oculorum meo-
rum non est mecum. Oro te Deus
meus, ne dimittas me in desideria per-
versi cordis mei, nec sinas me ire in
adiventionibus meis: Sed illumina

OCUS

Reliquias peccatorum. 9

oculos meos, ne unquam obdormiam
in morte ; ne quando dicat inimicus
meus : Prævalui adversus eum.
Præsta mihi per gratiam tuam, forti-
tudinem & robur, quo subjiciam mi-
hi appetitum meum, & ego dominetur
illius.

Nec solùm mihi sic nocuerunt pec-
cata mea ! Sed & contagione suâ in-
fecerunt alios: sedens adversus fratrem
meum loquebar , & adversus filium
matris meæ ponebam scandalum ,
hæc feci , & tacuisti usque adhuc.
Quoties verbis & exemplis alios à
te abduxi, ut offenderent te ? Et ad-
huc propterea offendente imposte-
rùm & damnabunt animas suas , &
ego reus ero sanguinis eorum.

Rogo te piissime Deus, per omnes
miserationes tuas , ab alienis parce
servo tuo & aufer scandala, quæ po-
sui de cordibus eorum ! immò po-
tius converte manum tuam contra
me, quam ut aliquis redemptus san-
guine Jesu Christi, per peccata mea
detrimentum aliquod salutis suæ pa-
tiatur : vel sanctissimus amonitus, &

10 *Ad actum contrit. & expellendas*
gloria tua in iis vel in minimo mi-
nuatur.

Et hos quidem fructus habui pes-
simos & amarissimos in peccatis me-
is, in quibus nunc erubesco : hi fuê-
re thesauri mei, in quibus thesauriza-
vi mihi iram in die iræ : in his dore
mivi somnum meum cum viris divi-
tiarum hujus seculi, & tandem, per
gratiam tuam evigilans nihil inveni
in manibus meis, Declinaverunt si-
cut umbra & defecerunt sicut fumus,
in vanitate dies mei, & anni mei cum
festinatione, quos impossibile est, ut
revocem. Interea quantos imbres,
immo & flumina gratiarum immi-
sisti mihi, ut fecundares animam me-
am ? Posuisti me, ut fructus affer-
rem in sanctificationem, tibi gloriæ &
honoris, mihi & aliis quam plurimis
mentoribus, & æternæ vitæ ? & nul-
los tuli. Posuisti flumina gratiæ tuæ
in desertum, & in sitim exitus aqua-
rum salientium in vitam æternam !
terram per te fructiferam in salugi-
nem à malitia mea, qui habitabam in
ea : reddidi tibi mala pro bonis, &
steri-

Reliquias peccatorum. Ir
sterilitatem animæ , & sanguinẽ
JESU CHRISTI , quo irriga-
tus fueram. Ideo nunc egenus &
pauper sum , & infirmata est in pau-
peritate virtus mea , & ego cum
operibus meis sicut fœnum arui ,
quod non est aptum nisi in combu-
stionem.

Complaceat tibi DEUS meus, di-
ves in misericordia , ut divitem
me facias in omnibus per gratiam
tuam, & Spiritu principali , abun-
danti, & fœcundo confirmes me ;
ut sicut adipe & pinguedine replea-
tur anima mea, & secundum multi-
tudinẽ peccatorum meorum, quæ
nunc dolores maximi sunt in corde
meo, consolationes gratiæ tuæ laci-
ficent animam meam : ut præteritæ
ac perditæ vitæ meæ damna recupe-
rem, & consumatus in brevi expleam
tempora multa, me totum & mea om-
nia impendendo, & super impendendo
amori & gloriæ tuæ , meæ & proxi-
morum meorum saluti.

12 *Ad actum contrit. & expellendas*

Protectoꝛ noster aspice Deus, quomodo per hæc omnia abundaverit in me delictum meum ! & respice in faciem Christi tui , & superabundet in me gratia tua, ut sicut in me regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum, cujus pro me redemptio copiosa est apud te : qui asperget me hyssopo amarissimæ & amabilissimæ passionis suæ in pretiosissimo sanguine suo, & mundabor. Amplius enim lavabit me à reliquiis peccatorum meorum, & super nivem dealbabor ! ut sim in ipso nova creatura : Vetera illa transibunt, & fient omnia nova ; ut in novitate vitæ ambulem coram te in pace multa, diligens nomen tuum, & non sit mihi scandalum : auferet enim de regno suo omnia scandala, qui vivit & regnat cum Deo Patre, & Spiritu sancto in Trinitate perfecta per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Agnus

Actus contritionis formula.

Domine JESU Christe, verè Deus & homo, Creator pariter & Redemptor meus, doleo ex intimo cordis me tuam majestatem offendisse cum tu sis Deus meus & omnia, quem super omnia diligere & colere debeo. Proinde firmiter statuo ac propono, me non amplius te offensurum, sed omnes peccandi occasiones devitaturum pro viribus, me insuper de noxis meis confessurum, & poenitentiam quamcunque imponendam impleturum. Ad pleniorè satisfactionem hodie tibi offero meipsum, vitam meam, omnes labores meos, omnia denique interiora & exteriora mea. Et quemadmodum delictorum meorum veniam supplex efflagito, ita me eam impetraturum confido per infinitam misericordiam ac benignitatem tuam, per merita quoque pretiosissimi sanguinis tui, ac sanctissimæ passionis, Te insuper daturum spero gratiam emendandi vitam meam, & in bono usque in finem

14 *Actus Contritionis formula.*

nem perseverandi, intercedentibus
pro me apud tuam clementiam beata
Maria semper Virgine matre tua, cum
omnibus Sanctis tuis, Amen.

*Alia brevior & quotidiana Tho-
ma de Kempis.*

O Mi bone Jesu? verus Deus &
homo, te ex corde meo amo, quia
infinite bonus es. Maledico & odio
habeo omnia peccata mea super om-
nia, cum firmo proposito te nunquam
offendendi mediante tua sancta gra-
tia & auxilio, per merita passionis &
mortis tuae. In unione illorum om-
nia opera & actiones meas hodie offe-
ram. Adjuva me, Domine Deus me-
us, in bono proposito, & sancto ser-
vitio tuo; & da mihi nunc hodie per-
fecte incipere, quia nihil est quod ha-
ctenus feci.

*Institutio sanctissimi Missae
Sacrificij.*

EGo enim accepi à Domino quod
& tradidi vobis: quoniam Do-
minus


Preparatio ad Missam. 15

minus Jesus, in qua nocte tradebatur,
accepit panem, & gratias agens fregit,
& dixit : Accipite & manducate,
HOC EST CORPUS MEUM ,
quod pro vobis tradetur : Hoc facite
in meam commemorationem. 1.

Cor. II

*Beda venerabilis hortatio ad quotidie
celebrandum.*

SAcerdos non legitime impeditus
celebrare omittens, quantum in eo
est, privat sanctam Trinitatem laude
& gloria, Angelos lætitiâ, Peccatores
veniâ , iustos subsidio & gratiâ , in
Purgatorio existentes refrigerio ,
Ecclesiam speciali Christi bene-
ficio, & seipsum medicinâ
ac remedio.



PRÆ-

PRÆPARATIO
AD MISSAM.

Pro opportunitate Sacerdotis
facienda.

METHODUS.

I.

Antiphona.

NE reminiscaris Domine deo-
licta nostra, vel parentum nos-
tro rum, neque vindictam
sumas de peccatis nostris. *Qua An-
tiphona in festi duplicibus tantum du-
plicatur.* Et tempore Paschali addi-
tur in fine, Alleluja. Deinde dicuntur
sequentes Psalmi.

Psalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua, Do-
mine virtutum ! concupiscit &
deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea : exultave-
runt in Deum vivum.

Eteo

Etenim passer invenit sibi domum:
& turtur nidum sibi, ubi reponat pul-
los suos.

Altaria tua Domine virtutum; Rex
meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua
Domine; in sæcula sæculorum lau-
dabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs
te: ascensiones in corde suo disposuit
in valle lachrymarum, in loco quem
posuit.

Etenim benedictionem dabit le-
gislator: ibunt de virtute in virtu-
tem, videbitur Deus Deorum in
Sion.

Domine Deus virtutum exaudi o-
rationem meam; auribus percipe De-
us Jacob.

Protector noster aspice Deus; &
respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis
tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei
mei: magis quam habitare in taber-
naculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem
dili-

diligit Deus : gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri.

Psalmus 84.

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum irascēris nobis? aut extends iram tuam à generatione in generationem.

Deus, tu conversus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos : & in eos qui convertuntur ad cor.

Verun-

Veruntamen propetimentes eum
salutare ipsius, ut inhabitet gloria in
terra nostra.

Misericordia & veritas obviave-
runt sibi: justitia & pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: & justitia
de caelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benigni-
tatem: & terra nostra dabit fructum
suum.

Justitia ante eum ambulabit: &
ponet in via gressus suos.

Gloria Patri.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, &
exaudi me: quoniam iunops &
pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam
sanctus sum: saluum fac servum tuum,
Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam
ad te clamavi tota die: laetifica ani-
mam servi tui, quoniam ad te Domi-
ne animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis &
mitis: & multae misericordiae omni-
bus invocantibus te,

Auri-

20 *Preparatio ad Missam.*

Auribus percipe orationem meam ;
& intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi
ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine:
& non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunque fecisti,
venient, & adorabunt coram te Do-
mine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens
mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, læ-
tetur cor meum, ut timeat nomen
tuum.

Confitebor tibi Domine Deus
meus in toto corde meo: & glori-
ficabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est
super me: & eruisti animam meam
ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super
me: & Synagoga potentium qua-
sierunt animam meam, & non pro-
posuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator &
misericors: patiens & multæ miserie-
cordiæ, & verax.

Ref.

Preparatio ad Missam. 21

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium Ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri.

Psalms 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini invocabo.

Vota

Vota mea Domino reddam in conspectu
omnis populi ejus: in atriis domus
Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine:
Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem
deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine:
Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est: &
propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:
speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem:
speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia:
& copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus
iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona.

NE reminiscaris Domine delicta
nostra, vel parentum nostrorum.

neque.

neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea Sacerdos dicit.

KYrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster. *ψ.* Et ne nos inducas. *℞.* Sed libera. *ψ.* Ego dixi, Domine miserere mei. *℞.* Sana animam meam, quia peccavi tibi. *ψ.* Convertere Domine aliquantum. *℞.* Et deprecare super servos tuos. *ψ.* Fiat misericordia tua Domine super nos. *℞.* Quemadmodum speravimus in te. *ψ.* Sacerdotes tui induant justitiam. *℞.* Et sancti tui exultent. *ψ.* Ab occultis meis munda me Domine. *℞.* Et ab alienis parce servo tuo. *ψ.* Domine exaudi. *℞.* Et clamor meus. *ψ.* Dominus vobiscum. *℞.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, & gratiâ sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis dignè ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur. Deus, cui omne

COR

cor patet, & omnis voluntas loquitur,
& quem nullum latet secretum, puri-
fica per infusionem sancti Spiritus co-
gitationes cordis nostri: ut te perfe-
ctè diligere, & dignè laudare me-
reamur.

Ure igne sancti Spiritus renes no-
stros & cor nostrum, Domine: ut tibi
casto corpore serviamus, & mundo
corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus Domi-
ne, Paraclitus qui à te procedit, illumi-
net: & inducat in omnem, sicut tuus
promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine,
virtus Spiritus sancti: quæ & corda
nostra clementer expurget, & ab om-
nibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti
Spiritus illustratione docuisti: da nobis
in eodem Spiritu recta sapere, & de
ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus
Domine, visitando purifica: ut veni-
ens Dominus noster Jesus Christus
Filius tuus, paratam sibi in nobis in-
veniat mansionem. Qui tecum vi-

Preparatio ad Missam. 25

vit & regnat in unitate Spiritus sancti
Deus, per omnia sæcula sæculorum,
Amen:

*Oratio devotissima dicenda à Sacerdo-
te, ante vel post celebratio-
nem Missæ.*

Pater cœlestis, clementissime Do-
mine, Pater misericordiarum: sus-
cipe hodie per manus servi tui hoc
sacrosanctum sacrificium, verum Cor-
pus & Sanguinem unigeniti Filij tui
Domini nostri Jesu Christi, in satis-
factionem & remissionem omnium
peccatorum meorum, in salutem &
fortitudinem animæ meæ, & totius
domus meæ (hujus) & omnium illo-
rum, quibus aliquâ obligatione tene-
or, & omnium Dominorum, Præla-
torum, Prædicatorum, Sacerdotum,
& Religiosorum Catholicæ fidei, ut
eis gratiam Spiritus Sancti impertiri
digneris, ad salutem animarum sua-
rum & regimen totius populi Christi-
ani, & omnium peccatorum hujus
mundi, ut eos convertas, & ducas ad
B **viam**

viam salutis, in consolationem omnium
 um tribulatorum, ut eis adiutorium,
 & veram patientiam tribuas : in re-
 frigerium & liberationem animarum
 in Purgatorio existentium: & maxi-
 me illarum, quæ auxilium à me iure
 expectant : & ad illuminationem, &
 conversionem omnium Gentium, in-
 fidelium, & hæreticorum & schisma-
 ticorum, ut cognoscant & ament te
 summam veritatem, Patrem omni-
 potentem, qui cum Filio & Spiritu
 sancto es laudabilis Deus, & benedi-
 ctus in sæcula sæculorum, Amen.

Alia oratio ante Missam.

DEus, qui de indignis dignos facis,
 & de peccatoribus justos, & de
 immundis mundos : munda cor, &
 corpus meum, ab omni contagione,
 & sorde peccati: & fac me dignum, at-
 que strenuū sanctis altaribus tuis mi-
 nistrum : & concede propitius, ut in
 hoc altari, ad quod indignus accedo,
 hostias acceptabiles, atque placabiles
 offeram pietati tuæ pro peccatis, &
 offen-

offensionibus, innumerisque & quotidianis excessibus meis, atque cuncto-
rum simul Christianorum culpis ab-
luendis, & per eum sit tibi votum
meum acceptabile, qui se tibi Deo Pa-
tri pro nobis obtulit sacrificium. Qui
tecum vivit & regnat in unitate Spi-
ritus sancti Deus, Per omnia sæcula
sæculorum, Amen.

Alia oratio.

Obscuro te, dulcissime Jesu Chri-
ste, ut passio tua sit mihi virtus,
quâ muniar, protegar, atque defen-
dar: Vulnera tua sint mihi cibus &
potus, quibus pascar, enutriar, atque
delecter: Aspersio sanguinis tui sit
mihi ablutio omnium delictorum
meorum. Mors tua sit mihi vita in-
deficiens. Crux tua sit mihi gloria
sempiterna: resurrectio, & auxilium;
sanitas & gaudium sempiternum, de-
siderium, & solatium cordis mei nunc
& in perpetuum. Qui vivis & regnas
cum Deo Patre in unitate Spiritus
sancti, &c.

Alia ex longiori oratione S. Ambrosij Episcopi.

DOce me, Domine, indignum famulum tuum, quem inter cætera dona tua ad officium Sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium tuum, eâ reverentiâ & timore quibus oportet, & decet! & fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter tenere, dicere, & cogitare, quod tibi placet & expedit animæ meæ. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Commendatio ad Beatam Mariam Virginem.

O Virgo gloriosissima, humillima, & misericordissima, accede ad tuum prædilectissimum Filium, & ostende ei pectus sacrum, & quibus
cum

Preparatio ad Missam. 29

eum lactasti beatissima ubera tua, ut ipse pro nobis ostendat Patri latus, & quæ excepit sacratissima vulnera sua! accedant omnium Electorum preces & merita, & præsta, ut dignè offeramus, & tanta sumamus Sacramenta, ut sic nulla sit repulsa, ubi tanta sunt charitatis indicia.

*Alia ad B. V. MARIAM ante
Missam oratio.*

O Mater pietatis! O Inventrix gratiæ! Genitrix salutis æternæ, beatissima Virgo Maria! Ego miser & indignus peccator, ad te confugio toto corde & affectu, & precor tuam dulcissimam pietatem, ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce pendentem astitisti: ita & mihi misero peccatori, & Sacerdotibus omnibus, hic & in tota sancta Ecclesia offerentibus hodie clementer assistere digneris, ut tuâ adjuti gratiâ dignam & acceptabilem hostiam in conspectu summæ & individuæ Trinitatis offerre valeamus, Amen.

B 3

Ad

*Ad sanctissimum P. N. Benedictum vel
alium Sanctum Patronum Ordinis
ante Missam oratio.*

O Beatissime ac sanctissime Chris-
ti Confessor, Monachorum &
Religiosorum Pater & Dux Bene-
dicte ! vel N. Ecce ego miser pec-
cator, qui non sum dignus vocari fili-
us tuus, nil de mea iustitia præsu-
mens, sed de clementia Dei & tuis
gloriosis meritis confidens, intendo
nunc offerre divinæ Majestati cæleste
Sacramentum Corporis & Sangui-
nis Domini nostri Jesu Christi pro
tua gloria & beatitudine. Obsecro
igitur te, Pater sanctissime, per illius
amorem & honorem, qui te elegit de
mundo, & in conspectu suo beatifi-
cavit, ut digneris sic ardentem orare
pro me, ut tuarum precum interven-
tu adjutus, divinissimum mysteri-
um dignè tractare, & sumere valeam,
& ab omnibus malis corporis & ani-
mæ defendi, ut tandem tecum, & cum
omnibus sanctis Monachis, & aliis
Dei

Præparatio ad Missam. 31

Dei pervenire mereat, ad laudandum
& possidendum ejus beatissimam vi-
sionem æternaliter in cælis. Amen.

*Ad Sanctum vel Sanctam, de quo vel
qua, festum agitur illa die ante
Missam Oratio.*

O Sancte N. ! vel Sancta N. !
Cujus hodie memoriam in ter-
ris celebramus, ego fragilis peccator
conservus tuus, de tuis meritis confi-
dens, intendo hoc mane offerre sa-
cratissimum Sacramentum corporis
& sanguinis Domini nostri Jesu
Christi, pro tuo honore & gloria.
Precor te humiliter & devotè, ut pro
me hodie intercedere digneris, ut tan-
tum sacrificium dignè & acceptabili-
ter offerre valeam, & eum tecum, &
omnibus Electis ejus æternaliter lau-
dare, & cum eo regnare valeam, A-
men.

Gregorius XIII. Pontifex Maxi-
mus concessit cuilibet dicenti, quæ se-
quuntur, quinquaginta annorum In-
dulgentiæ ante Missam.

B 4

Ego

Ego volo celebrare Missam, & conficere corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totius Curiaë triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Curiaë militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus, Amen.

 Applicatio Missæ pro Vivis.

Sacerdos sui memor officii ante Sacrum debet sequentem, aut similem Missæ applicationem devotè & cum affectu percurrere.

 Memento Vivorum.

MEi, Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Omnes

Preparatio ad Missam. 33

2. Omnium quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi.

3. Omnium benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus.

4. Omnium Sacerdotum & Ministrorum Ecclesie Dei Catholice.

5. Omnium inimicorum meorum ad dimissionem.

6. Omnium Hæreticorum & Infidelium ad conversionem.

7. Omnium Agonizantium, & improvise Morientium.

8. Omnium mihi commissorum in genere & in specie, & omnium pro quibusvis, & scis me debere orare,

Applicatio Missæ pro Defunctis. 9

Memento Mortuorum.

1. **A** Nimarum Parentum, Fratrum Sororum, Consanguineorum, & omnium Amicorum meorum.

2. Animarum quæ occasione mei purgantur in Purgatorio,

3. Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus.

B 5

4. An-

34 *Preparatio ad Missam.*

4. Animarum omnium Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiae Dei Catholicæ.

5. Animarum quarum non est specialis memoria in terra.

6. Animarum omnium mihi commissarum in genere & in specie.

7. Animarum omnium improvisâ morte corporibus exutarum:

8. Animarum in Purgatorio existentium, & omnium pro quibus vis & scis me debere orare.

Postulationes generales ante Missam.

• **V**ir quidam pius, ac variis occupationibus distractus, nocturno tempore aut certè summo mane, postulationes suas ac gratiarum actiones Deo offerebat, omnia sua desideria ad certa quædam capita revocans, ac petens.

1. Ut omnes cogitationes, verba, & opera ipsi grata sint & accepta.

2. Pro omnibus beneficiis quæ à
PUNTO

Preparatio ad Missam. 35

puncto conceptionis suæ accepit, & in
omnem æternitatem accepturus est.

3. Pro universis donis sacratissimæ
Christi Humanitati, castissimæ Dei
Parenti, omnibus Sanctis, tam Ange-
lis quàm hominibus concessis.

4. Pro vocatione ad Religionis
vel Clericatus statum, pro votis ad e-
jus honorem emissis, ac talentis, tam
naturalibus quàm supernaturalibus
ipsi communicatis.

5. Pro collata Sacerdotij sanctissimi
ac sublimissimi dignitate, ad quam
sustinendam petendum, ut ornamenta
omnia ad hoc necessaria conferat, præ-
cipuè fidem, humilitatem, timorem,
reverentiam, charitatem, ut tantum
bonum sine fructu non transeat.

6. Pro omnibus infidelibus, Ju-
dæis, Turcis, Mauris, Hæreticis ac
Schismaticis, ad fidem & unitatem
convertendis.

7. Pro Ecclesia, ejusque capite sum-
mo Pontifice, pro singulis Ecclesiæ
ordinibus ac religiosis cœtibus, ut
omnes verbo, & exemplo instruant,
& ad bonum promoveant.

8. Pro

8. Pro legibus aliisque magistratibus in officio constitutis, ut quietè tranquillè atque ad Dei gloriam commissam sibi rempub. regant.

9. Pro omnibus spiritali ac corporali necessitudine conjunctis, immò pro captivis, vinctis, ægris, tentatis, tribulatis, agonizantibus, aut in alia necessitate constitutis: quin & pro inimicis ipsius, quibus Christi exemplo ignoscendum, & pro illis laborandum.

10. Ad hæc pro animabus omnibus in purgatorio detentis, ut Deus eis refrigerium, & sedem æternæ quietis indulgear.

11. Tibi verò non tantum peccatorum remissionem, & contritionem tribuat, sed etiam mortificationem inordinatorum affectuum, simulque fidem, spem, charitatem: Item virtutes cardinales, atque appetitûs tam concupiscibilis quam irascibilis compositionem, unâ cum donis Spiritus sancti, quibus ornatus, & ei in hac vita ad extremum usque felicissimum gratus existas, ex beatificâ visione, quan-

Quandocunque ei placuerit, tandem aliquando frui merearis.

Quinque puncta ante vel post Missam utilissimè recitanda.

I.

Detestor & abominor omnia & singula peccata mea, & omnium aliorum, commissa ab initio mundi, usque in hanc horam, & deinceps usque ad finem mundi committenda, & si possem impedirem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

II.

Laudo & approbo omnia bona opera facta à principio mundi usque in hanc horam, & deinceps usque in finem mundi facienda, & si possem ea multiplicarem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III.

Intendo omnia facere, dicere & cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis intentionibus quas Sancti unquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

IV.

Ignosco & dimitto ex toto corde

€

omnia

omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque modo mihi nocentibus, vel volentibus mihi mala,

V.

Utinam omnes homines salvare possem, moriendo pro singulis, libenter id facerem per gratiam Dei, quam supplex invoco, & sine qua nihil possum.

Forma intentionis ad Missam celebrandam.

AD laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi, vitæ, Passionis, Mortis, ac Resurrectionis, ac in operum, & meritorum ejus, omniumque sanctorum unionem. Ad laudem quoque, & exaltationem B. Virginis Mariæ, cælestium Angelorum, Sanctorum atque Sanctarum; Offero etiam cum ipsorum Beatorum spirituum laudibus, Sanctorumque omnium precibus & meritis, nunc & semper, hoc & omnia alia sacrificia, officia, orationes, & bona opera totius mundi, pro meis præsentibus; & futu-

Futuris animæ & corporis necessitati-
bus, in auxilium, & consolationem
meam, & in remissionem omnium
peccatorum meorum, quorum veram
contritionem semper habere intendo,
conor, & cupio, omniumque Vivorum
& defunctorum meorum parentum, &
consanguineorum, amicorum, inimico-
rum, benefactorum in spiritualibus, &
temporalibus, ac illorum, quibus fui
gravamen, scandalum & occasio pec-
candi. Pro omni gradu sanctæ Catholi-
cæ Ecclesiæ, ac illius conservatione,
augmento & exaltatione, Christiano-
rum Principum unione, hæresum ex-
tirpatione, Summi Pontificis salute;
(Imperatoris nostri invictissimi inco-
lunitate) & animarū in Purgatorio ex-
istentium liberatione. Pro conserva-
tione, & augmento omnium Religio-
num. Pro conversione omnium in-
fidelium. Pro mihi commissis &
commendatis. Denique pro illis
omnibus vivis atque defunctis, pro qui-
bus Dominus noster Jesus Christus,
& ejus Mater sciunt & volunt

40 *Orationes ante Celebrationem*
me debere orare, & sacrificare, sic oro,
obsecro, ac orare, obsecrare sacrificare,
intendo, ac propono, ac juxta intenti-
onem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Ego
N. Minister licet indignus. In nomi-
ne Patris, & Filii, & Spiritus sancti. A.
Hæc ex Missali Romano & The-
sauro Sacerdotum.

METHODUS

II.

Orationes.

Pro opportunitate Sacerdotis ante Ce-
lebrationem, & Communio-
nem dicendæ.

Oratio sancti Ambrosij Episcopi.

Die Dominicâ.

Summe Sacerdos, & verè Pontifex
Jesu Christe, qui te obtulisti Deo
Patri hostiam puram & immaculatam
in ara Crucis pro nobis miseris & pec-
catoribus, & qui dedisti nobis carnem
tuam ad manducandum, & sanguinem
tuum ad bibendum, & posuisti myste-
rium istud in virtute Spiritus sancti
tui, dicens: Hæc quotiescunque fece-
ritis, in mei memoriam facietis: Rogo
per

pereundem sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, quâ nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis nostris in sanguine tuo : Doce me servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ: doce me, quæso per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium eâ reverentiâ & honore, eâ devotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem, tantorum mysteriorum. Profunda quippe sunt nimis, & sacro recta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde & purâ mente celebrare. Libera cor meum ab

42 *Orationes ante Celebrationem*
mundis & nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum piâ & fida custodiâ, ac tutelâ fortissimâ, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterij, & per manum sancti Angeli tui repelle à me, & à cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiæ, & cœnodoxiæ, invidiæ & blasphemiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur: pereant illi qui nos perdere festinant.

FERIA SECUNDA.

REX virginum, & amator castitatis & integritatis, cælesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor castitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis, carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis quæ tibi placent in veritate: ut sacrificium laudis casto corpore & mundo corde valeant tibi offerre. Quantâ enim

COI-

cordis contritione , & lachrymarum fonte , quantâ reverentia & timore , quantâ corporis castitate, & animi puritate istud divinum & cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis , terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium & sacerdos mirabiliter & ineffabiliter constitutus.

FERIA TERTIA.

Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum. Scio Domine , & verè scio, & id ipsum pietati tuæ confiteor , quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio, & veraciter ex toto corde credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus justos & sanctos. Per hanc omnipotentiam te rogo Deus meus,

44 *Orationes ante Celebrationem*
ut concedas mihi peccatori hoc sacrifici-
um celebrare cum timore & tremore,
cum cordis puritate, & lacrymarum fon-
te, cum læticia spiritali, & cælesti gau-
dio. Sentiat mens mea dulcedinem bea-
tissimæ præsentiaæ tuæ, & excubias San-
ctorum Angelorum tuorum in circui-
tu meo.

FERIA QUARTA.

EGo enim, Domine, memor vene-
randæ passionis tuæ accedo ad alta-
re tuum, licet peccator, ut offeram tibi
sacrificium, quod tu instituisti, & offer-
ri præcepisti in commemorationem tuam
pro salute nostra. Sulcipe illud, quæso,
summe Deus, pro Ecclesia sancta tua,
& pro populo quem acquisisti sangui-
ne tuo. Et quoniam me peccatorem in-
ter te & eundem populum tuum medi-
um esse voluisti, licet in me aliquod
boni operis testimonium non agnoscas,
officium saltem dispensationis creditæ
non recuses, nec per me indignum, eo-
rum salutis pereat pretium, pro quibus
victima salutaris dignatus esse redemp-
tio. Profero ergo Domine (si digneris
propitius intueri) tribulationes plebium
peris

pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senū, suspiria juvenum, lamenta viduarum.

FERIA QUINTA.

TU enim misereris omnium Domine: & nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia: quia tu pater noster es, quia tu Deus noster es; ne irascaris satis, neq; multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis iniquitates nostras: & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra: & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus Domine Clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris: & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggerere, quas ipse propitius audire, & exaudire delecteris.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, & pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium & refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo, qui de cælo descendisti, & das vitam mundo, de tua carne sancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto & glorioso beatæ virginis Mariæ utero est assumpta, & de Spiritu sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo Latere emanavit: ut exinde refecti & satiati, refrigerati & consolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, & sanctificatio tuæ divinitatis: Descendat etiam Domine illa sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras

stras

stas corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum Sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, & lachrymarum devotione, cum reverentia & tremore, ita ut placidè ac benignè suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quàm defunctorum.

SABBATHO.

ROgo etiam te Domine, per ipsa sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia Sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: Panis quem ego dabo, Caro mea est pro Mundi vita. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore,

48 *Orationes ante Celebrationem*
ut nullam præter te sentiam dulcedi-
nem. Panis candidissime, habens omne
delectamentum, & omnem saporem,
qui nos semper reficis, & nunquam in
te deficis: comedat te cor meum, & dul-
cedine saporis tui repleantur viscera a-
nimæ meæ. Manducat te Angelus ore
pleno: manducet te peregrinus homo
pro modulo suo, ne deficere possit in
via, tali recreatus viatico. Panis sancte,
panis vive, panis munde, qui descendisti
de cælo, & das vitã mundo, veni in cor
meum, & munda me ab omni inquina-
mento carnis & Spiritus. Intra in ani-
mam, sana & munda me interius & ex-
terius. Esto tu tamen, & continua salus
animæ & corporis mei. Repelle à me
insidiantes mihi hostes: recedant pro-
cul à præsentia potentiaæ tuæ, ut foris
& intus per te munitus, recto tramite ad
tuum regnum perveniam: ubi non in
mysteriis, sicut in hoc tempore agitur,
sed facie ad faciem te videbimus, cum
tradideris regnum Deo & Patri, & erit
Deus omnia in omnibus. Tunc enim
me de te satia. bis facietate mirificâ, ita ut
nec esuriam, nec sitiam in æternum.
Qui

Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu
sancto vivis & regnas per omnia sæcu-
la sæculorum, Amen.

Alia Oratio ante Missam.

AD mensam dulcissimi convivij tui
pie Domine Jesu Christe, ego pec-
cator de propriis meritis nihil præsu-
mens, sed de tua confidens misericordia
& bonitate, accedere vereor & contre-
misco. Nam cor & corpus habeo mul-
tis criminibus maculatum, mentem &
linguam non cautè custoditam. Ergo,
ô pia Deitas! ô tremenda majestas! ego
miser inter angustias deprehensus, ad te
fontem misericordiæ recurro, ad te fe-
stino sanandus, sub tuam protexionem
fugio: & quem judicem sustinere ne-
queo, salvatorem habere suspiro. Tibi
Domine plagas meas ostendo: tibi ve-
recundiam meam detego. Scio peccata
mea multa & magna, pro quibus timeo
spero in misericordias tuas, quarum non
est numerus. Respice ergo in me oculis
misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe
Rex æterne, Deus & homo, crucifixus
propter hominem. Exaudi me speran-
tem in te: miserere mei pleni miseriis &

50 *Orationes ante Celebrationem*
peccatis , tu qui fontem miserationis
nunquam manare cessabis. Salve salu-
tatis victima, pro me & omni humano
genere in patibulo Crucis oblata. Salve
nobilis & pretiose sanguis, de vulneri-
bus crucifixi Domini mei Jesu Christi
profluens, & peccata totius mundi ab-
luens. Recordare Domine creaturæ tuæ
quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet
me peccasse, cupio emendare quod feci,
Aufer ergo à me, clementissime pater ,
omnes iniquitates & peccata mea : ut
purificatus mente & corpore, dignè de-
gustare merear Sancta Sanctorum : &
concede, ut sancta prælibatio Corporis
& sanguinis tui, quam ego indignus su-
mere intendo , sit peccatorum meorum
remissio, sit delictorum perfecta purga-
tio, sit turpium cogitationum effugatio
ac bonorum sensuum regeneratio, ope-
rumque tibi placentium salubris effica-
cia , animæ quoque & corporis contra
inimicorum meorum insidias firmissi-
ma tuitio. Amen.

Oratio Sancti Thomæ Aquinatis.

OMnipotens sempiterne Deus, ecce
accedo ad Sacramentum unigeniti
Filiij

Filij tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum Cœli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum Dominum dominantium tantâ suscipiam reverentiâ & humilitate, tantâ contritione & devotione, tantâ puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit salutis animæ meæ. Da mihi, quæso, dominici Corporis & sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata
tan

52 *Litania ante vel post*
tandem facie perpetuò contemplari.
Qui tecum vivit & regnat in unitate
Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula
sæculorum. Amen.

*Sequuntur breves Litania omnium
Sanctorum ante vel post celebrationem
Missa, pro Sacerdotis opportunitate
dicenda.*

ANTIPHONA,

O Sacrum convivium, in quo Chri-
stus sumitur : recolitur memoria
passionis ejus: mens impletur gratiâ: &
futuræ gloriæ nobis pignus datur, alle.

K Yrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Christe audi nos,
Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus , qui per con-ter-
num tibi Filium cuncta creasti cum-
que pro mundi reparatione carnem
suscipere voluisti: ut ego indignus Sa-
cerdos ejusdem Filij tui corporis &
sanguinis Sacrificium dignè, tibi que
acceptabiliter offerre possim. Miser.
Fili Redemptor mundi Deus , qui sacri
Corporis & Sanguinis tui Sacrifici-
um in memoriam amarissimæ Passi-
onis

Celebrationem Missæ 53

onis tuæ instituisti, ac pro vivis & defunctis in Ecclesia offerre voluisti: ut ejusdem sacrificij dignus minister inveniar. *Miserere mei.*

Spiritus sancte Deus, piarum mentium inhabitator, qui Incarnationis Domini nostri Jesu Christi cooperatore fuisti: ut ego Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in sacrificio corde purificato dignè offeram & sumam, *Miserere mei.*

Sancta Trinitas unus Deus, qui me peccatorem sacris Altaribus adstare voluisti, ad sancti nominis tui laudandam potentiam: ut tuæ Majestati dignè famulari, atque pro vivis & defunctis tuam clementiam orare possim. *Miserere mei.*

S Maria, de cujus utero Dei Filius carnem suscepit, quam ego indignus offerre & sumere intendo: ut hæc salutaria mysteria efficiantur mihi salus & vita. *Ora pro me.*

Omnes Sancti Angeli & Archangeli, qui Filium Dei hominem factum adorastis, jamque regnanti assistitis: ut ex ejus Altaris participatione
corpus

corpus & sanguinem sumens, omni benedictione cælesti & gaudio replear.

Orate pro me.

Omnes sancti Apostoli, quos Christus in novissima Cœna Sacerdotes Novi Testamenti creavit, ac primum seipso cibavit: ut gratiam per manûs impositionem mihi collatam non negligam, sed quotidie incremento debito augeam.

Orate pro me.

Omnes S. Evangelistæ, qui institutionis hujus sacrificij debitum scriptis testamentum dedistis: ut ego plenam fidem, charitate ferventi, ac devotione perfectam sacrificium istud peragere possim.

Orate pro me.

Omnes S. Mart. qui Christo Regi Martyrum corpus & vitam in passione lictanti, vicem quam potuistis, Martyrium, oblatione rependistis: ut ego me, meaq; omnia ipsi tanquam diuturno Martyrio, perfecte offeram.

Orate pro me.

Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, qui cibo potuq; cælesti sæpius refecti pravas concupiscentias & desideria mala superastis: ut & ego sacris
hiscæ

Celebrationem Missæ

55

hisce mysteriis armatus & animatus
meipsum omnesq; inimicos animæ
superem.

Orate pro me.

Omnes S. Virgines & Viduæ, quæ per
Castitatis studium Filio Dei in vo-
bis habitaculum præparastis: ut &
ego expurgatis omnibus quæ ejus
displicent Majestati gratum ei in a-
nima mea exhibeam tabernaculum,

Orate pro me.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, qui bea-
tificâ jam visione aspicitis, honoratis
& adoratis, quem nos hic interim
non nisi sub speciebus, & quasi in æ-
nigmate videmus: ut per salutiferum
hujus Sacramenti usum vestro simul
dignus consortio inveniar.

Orate pro me.

Oremus.

DEus, qui nobis sub Sacramento
mirabili Passionis tuæ memoriam
reliquisti: tribue quæsumus, ita nos cor-
poris & sanguinis tui sacra mysteria ve-
nerari, ut tuæ redemptionis fructum in
nobis jugiter sentiamus. Qui vivis &
regnas

Hæc ex Missali Romano & The-

sauro Sacerdotum. ME-

DISPOSITIO BREVIS AD MISSAM.

Ego intendo me jam promptè, & ex dilectione tradere Deo, & his quæ Dei sunt, & nihil aliud cogitare corde, ore & opere: Dominum Deum collaudare, tanquam Minister Ecclesiæ, in virtute passionis Domini nostri Jesu Christi, & Sacramentorum ejus, in cõmunionem omnium bonorum Electorum Dei, & in miserationibus multis. O utinam possem illud sumere, Domine Deus, cum tanta devotione, sicut unquam aliquis Electorum fecit.

Hic examinabis conscientiam attendendo an in aliquo impedimentum habeas, & deinde subjunges.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Aufer à me, Domine, cunctas iniquitates meas, & tui amoris ignem in me clementer accende.

Ne irascaris mihi, Domine misericordissime, non enim in justificationibus effundo preces meas, sed in miserationibus tuis multis. Ne

N
 tudin
 supe

G
 Resu
 sanct
 tuor
 corp
 instr
 perf
 om
 tuur
 V

facir
 fac,
 & c

P
 juva
 cele
 Ecc
 & q
 ult
 cran
 No
 Ecc

Ne igitur, obsecro Domine, multitudinem viscerum tuorum contineas super me misero peccatore.

Oremus.

GRatias tibi ago, Domine, pro tua Incarnatione, Nativitate, Passione Resurrectione, Ascensione & Spiritus sancti missione, & omnium Sanctorum tuorum glorificatione, & Sacramenti corporis & sanguinis institutione, quod instituisti ut eo suscipiendo purgarer, perficerer, & ab omni malo liberarer, omnisque boni particeps efficerer, & ad tuum regnum perducerer.

Veni Domine & noli tardare, relaxa facinora inutilis servi tui: participem me fac, Domine, omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Piissime Domine, te donante & adjuvante intendo celebrare, & intendo in celebratione facere, quod sancta Mater Ecclesia in celebrando intendit & facit, & quod Christus fecit & instituit in ultima coena, scilicet celebrare & consecrare corpus & sanguinem Domini Nostri Jesu Christi tanquam Minister Ecclesiae in persona Christi. Et intendo
illud

illud sacrificium tibi offerre in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, pro gloria Majestatis tuæ, & in honorem sancti N. & omnium Sanctorum tuorum.

Hic exprime pro quo vel pro quibus velis offerre.

Et pro toto universalis Ecclesiæ statu, in gratiarum actionem omnium bonorum quæ feci, in remissionem omnium malorum quæ nos commisimus, in susceptionem tuæ gratiæ, & in meritum & collationem tuæ gloriæ. Et intendo te, Deum meum per lachrymas colere, Passionem Christi memorare, totam Ecclesiam adjuvare. Et intendo facere diligentiam magnam respectu tam excellentis animæ Christi, maximam respectu excellentissimæ Deitatis Christi. Intendo acquirere remissionem peccatorum, augmentum dilectionis Dei & proximi.

Hic fiat brevis meditatio de Passione Christi.

Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me?

Patet

Dispositio ad Missam. 59

Pater unigenitum suum Filium tradidit pro me.

Filius semetipsum tradidit pro me.
Spiritus sanctus tantorum bonorum participem me fecit.

Oratio ante Communionem Thomae à Kempis.

O Dulcissime atque amantissime Domine! quem nunc devotè desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam, & necessitatem quam patior, in quantis malis & vitiis jaceo, quàm sæpe sum gravatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro consolatione & sublevamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfecte consolari & adjuvare. Tu scis quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper sum in virtutibus. Ecce, sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans, & misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumi-

60 *Dispositio ad Missam.*

illumina cæcitatem meam claritate
præsentiaæ tuæ. Verte mihi omnia terre-
na in amaritudinem, omnia gravia &
contraria in patientiam; omnia infima
& creata in contemptum & oblivionem.
Erige cor meum ad te in cælum, & ne
dimittas me vagari super terram. Tu
solus mihi ex hoc jam dulcescas usque
in sæculum, quia tu solus cibus & po-
tus meus, amor meus, & gaudium me-
um, dulcedo mea, & totum bonum
meum. Utinam me totaliter ex tua præ-
sentia accendas, combures, & in te trans-
mutes, ut unus tecum efficiar spiritus,
per gratiam internæ unionis, & lique-
factionem ardentis amoris! Ne patiaris
me jejunum & aridum à te recedere,
sed operare mecum misericorditer, sicut
sæpius operatus es cum Sanctis tuis
mirabiliter. Quid mirum, si totus ex te
ignescerem, & in meipso deficerem;
cum tu sis ignis semper ardens, & nun-
quam deficiens, amor corda purificans,
& intellectum illuminans.

METHO.

V
Ecc
sti c
omn
obse
um r
ne a
à ver
confo
præse
in me
ctain
fiat co
habit
munc
& cla
meæ
& mi
buent
confi
digno
mud

Invocatio ante Missam.

METHODUS

IV.

INVOCATIO ANTE

Missam.

Veni sancte Spiritus, Paraclite, illuminator, & vivificator tuæ sanctæ Ecclesiæ, qui illuminasti, & sanctificasti corda sanctorum Apostolorum, & omnium fidelium tuorum, te invoco, te obsecro, ad te clamo in regimen omnium meorum sensuum & cogitationum ne a via recta deviet voluntas mea, & ut à vermibus stimulo quotidie purgetur conscientia mea. Digneris igitur esse præsens in mea mente, in meo corpore, in meo ore & opere, ut per tuam sanctam virtutem, & divinam operationem, fiat cor meum mundum, & tuæ gratiæ habitaculum: mens mea fiat pura & munda, & omnes sensus mei purificati & clarificati, & ministerium servitutis meæ in conspectu tuo fiat acceptabile, & mihi salutare, tuâ misericordiâ tribuente, tuâ virtute operante, tuâ gratiâ confirmante: quia tu facis de indignis dignos, de peccatoribus justos, de immundis mundos: tu justificas impios, &

D

mortu-

62 *Invocatio ante Missam.*

mortuos vivificas, & in infirmitate virtutem misericorditer tribuis, quia tu es creator omnium, & Dominus dominantium. Munda ergo me, vivifica me, & justifica me, ut ad sanctum altare mundo corde possim accedere, & corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumere.

I N T E N T I O.

IN ejus enim persona, & ex eadem charitate, & ex eodem fine, sicut ipse instituit, & sancta Mater Ecclesia Romana ordinavit, ego intendo hanc Missam celebrare (audire) ad tuum honorem, & laudem sanctissimæ Trinitatis: & hoc ob memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & ad jubilum beatæ Mariæ semper virginis, & omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, & aliorum Sanctorum & Sanctarum, & præsertim in honorem Sancti N. vel Sanctorum NN. cujus, vel quorum hodie Missam celebrare [audire] intendo.

Invocatio ante Missam. 63

scendo. In remissionem omnium peccatorum meorum, patris & matris meæ, consanguineorum & affinium meorum Religiosorum & Religiosarum, & literas confraternitatis Ordinis nostri habentium, & omnium benefactorum nostrorum, & fidelium Christianorum tam vivorum quam mortuorum. & specialiter pro illo, vel illis, qui mihi eleemosynam dederunt & reliquerunt ut secundum eorum voluntatem & intentionem, hanc Missam celebrem: & pro sanctissimo Pontifice nostro N. illustrissimo Protectore nostro N. Reverendissimo Generali nostro N. & Abbate N. ut Deus eos conservet in vitam æternam Amen.

*Oratio ad implorandum celeste
auxilium, & pro quibus
offerendum.*

Domine Jesu Chrtiste, Fili Dei
vivi, miserere mihi misero peccatori,
& omnibus servis tuis, qui tibi
hodie sacratissimum ac pretio-
fissimum

64 *Invocatio ante Missam.*

issimum nostræ salutis pretium offerunt: & da nobis gratiam, Virtutem & fortitudinem immolandi, offerendi, ac sumendi hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum, in fide recta, spe firma, & charitate perfecta, cum augmento humilitatis, patientiæ, obedientiæ, castitatis ac totius sanctitatis: in honorem & laudem sanctæ & individuæ Trinitatis, ac beatissimæ Virginis M. in gaudium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium Electorum tuorum jam in æterna patria lætantium: & sicut es illis in gaudium, ita sit nobis hujus vitalis Sacramenti perceptio in subsidium, & iis, qui in pœnis sunt in refrigerium, Amen.

Alia Oratio.

Miserere igitur, clementissime Domine Jesu Christe, per hujus vivifici Sacramenti virtutem, sanctæ & universalis Ecclesiæ; & omnia mala, hæreses scilicet, discordias & dissensiones ab ea revelle, incredulos ad fidem converte, Schismaticos & hæreticos ad

unita-

Invocatio ante Missam. 65

unitatem sanctæ Ecclesiæ fac redire, & ipsis lumen tuæ veritatis ostende, errantesq; in ea corrige: peccatoribus veram pœnitentiam largire, justos in bono proposito conserva, populo Christiano miserere, Clerum defende, Religiosos in tuo sancto servitio conservare digneris: omnesque laborantes conforta, tristes consolare, infirmis sanitatem corporis & animæ restitue, pauperibus & egenis omnia necessaria tribue, peregrinos & exules fac cum salute ad propria remeare, in periculis aquarum positos, fac ad portum pertingere, prægnantibus partum gaudij misericorditer largire, in vinculis & carceribus detentos absolve, omnibus cum quibus peccavimus, vel quos ad peccandum induximus, & nobis misericors Pater indulge: omnibus quos conturbavimus læsimus, scandalizavimus, vel defraudavimus, tu gratiose Creator persolve: Omnibus confratribus, & consanguineis, familiaribus, & benefactoribus, quorum utimur, vel usi sumus elemosynis: Omnibus pro nobis orantibus, vel nostris orationibus se commendantibus,

D 3

ribus,

tibus, omnia bona tribue, & eos ab omni malo defende. & in tuo servitio, usque in finem, fac perseverare, & post hujus cursum miseriæ, ad te, qui es vera patria, merces, præmium æternum & gloria, da pervenire: in tribulationibus & persecutionibus ad te clamantibus auxiliare, de hoc quoque sæculo exeuntibus succurre, & animas eorum à faucibus rugientis inimici eripe: inimicis nostris, & nobis, veram charitatem largire: omnibusque tuis fidelibus præsta auxilium & solatium, in carne adhuc præsentibus tuam largiendo gratiam, futuros tuâ misericordiâ præveniando, præteritis verò æternam requiem tribuendo. Qui trinus & unus es Deus, per cuncta sæculorum sæcula benedictus. Amen.

*Alia Oratio preparatoria
ante Missam.*

O Sanctissime Jesu! ego miser peccator, spiritu egenus, idoneisque affectibus destitutus, celebrandi vero munere longè indignissimus, offero tibi omnium Sanctorum & Electorum tuorum piissimos affectus, quos unquam elicue-

elicuerunt, aut modo eliciunt, ac deinceps elicient: omnes virtutum actus, quos in tam tremendo hoc Mysterio decet exercere: obsecrans te, per pretiosissimum sanguinem & mortem tuam, ut dimittas quæ conscientia agnoscit vel metuit, & adjicias, quod Oratio non præsumit. Et quia tu, Domine Jesu Christe, in sacratissimo Missæ sacrificio, primarius es offerens & mediator inter Deum & homines, dignare obsecro, totius humani generis, atque adeo creaturarum omnium nomine, te ipsum offerre æterno Patri, infinite gratum [utpotè in quo sibi bene complacuit] unâ cum omnibus meritis & actibus internis & externis, passionis, mortis, & vitæ tuæ: amore denique quo illum Deus & Homo semper amasti, amabisque in omnem æternitatem. Amen.

Alia Oratio brevior.

O Domine Jesu Christe! in memoriam immensæ tuæ charitatis, quâ propter me natus, passus, crucifixus & mortuus es, offero tibi hujus Missæ, & omnium Missarum, quæ toto orbe fiunt, Hostiam sacrosancti corporis

D †

&

68 *Invocatio ante Missam.*

& sanguinis tui, in protestationem su-
premi dominij tui in omnes creaturas
infiniteeque tuae Majestatis. In sacrifi-
cium laudis & gratiarum actionis,
propter immensam gloriam tuam, cum
collata omnibus omnino beneficia. In
sacrificium spiritus contribulati, ad sa-
tisfaciendum, pro meis ac totius mun-
di peccatis. In sacrificium deniq; justi-
tiae, ad impetrandam gratiam, qua om-
nes te cognoscant, tibi credant, in te spe-
rent, te diligant, te adorent, tibi serviant
& sic salvi fiant. Rogo te igitur, per vis-
cera misericordiae tuae, ut idem suscipias
& Patri tuo offeras, in ea virtute, qua
illi moriens in cruce Spiritum tuum
tradidisti, ut vivis tuam gratiam, defun-
ctis requiem, nobis omnibus clemen-
tiam, vitamque largiaris sempiternam.
Primario tamen offero pro N. secun-
dario pro N.

Hæc ex Officio Beatæ Virg. Mariæ
Monastico.

ME-

DE

O

bilis
long
fune
bilis
Bon
nis,
imn
hon
es d
ctus
ris,
ris,
San
in o
cret
ciis,

Formula offerendi
METHODUS.

69

V.

DE FORMVLIS OFFERENDI

Quadruplex Cordis Sacrificium.

Formandi Intentionem &
Memento.

§. I.

Formula offerendi Sacrificium
Latreuticum.

O Beata Trinitas, unus Deus, infinite
amabilis, laudabilis, & superexalta-
bilis ! Quàm immensa & infinita est
longitudo, latitudo, sublimitas & pro-
funditas ineffabilis & incomprehen-
sibilis Majestatis, Potentiæ, Sapientiæ,
Bonitatis, Magnitudinis, Pulchritudi-
nis, Amabilitatis tuæ ! Quàm proinde
immensâ & ineffabili reverentiâ, cultu,
honore, amore, obedientiâ & obsequio
es dignissimus ! Sanctus, Sanctus, San-
ctus Dominus Deus Sabaoth ; agnosca-
ris, adoreris, sanctificeris, ameris, laude-
ris, glorificeris infinites ab omnibus
Sanctis tuis, etiam possibilebus creaturis
in omnibus perfectionibus, judiciis, de-
cretis, operibus, permissionibus, benefi-
ciis, misericordiis, & justitiis tuis, om-

D 5

ni

in possibili modo, gratis, purè propter
 te, infinitè super omnia, nunc, semper,
 æternum & ultra: faveo & gratulor
 tibi medullitus infinitam perfectio-
 nem, beatitudinem, & gloriam tuam,
 omnem insuper honorem, laudem, be-
 nedictionem tibi unquam exhibitam,
 exhibendam, & possibilem exhiberi, ab
 omni possibili creatura, idque purissi-
 mè propter te, omni possibili affectu,
 & meo, & omnium possibilium crea-
 turarum, nunc, semper, æternum.
 Gaudeo, Te à nulla creatura dignè
 posse æstimari, amari, glorificari,
 nisi à teipso, & Unigenito tuo, Sal-
 vatore nostro, qui unus tecum est De-
 us, unus Dominus: Quem proinde Ti-
 bi in sacrificium laudis, immensâ tuâ
 majestate dignum, offero, cum omni-
 bus ejus infiniti meriti internis exter-
 nisque actibus reverentiæ, submissionis
 zeli gloriæ tuæ; cum omnibus sacrifi-
 ciis laudis, & obsequiis quibus te glori-
 ficavit olim in terris, unâ cum meritis
 & laudis sacrificiis Beatæ, Virginis Ma-
 riæ & omnium Sanctorum. Utinam
 te sic totâ vitâ in omnibus, super
 omnia,

omnia, gratis, propter te, omni possibili devotionis affectu glorificassem, laudassem, amassem, sicut nunc animatus, gratiâ tua illuminatus, & accensus cupio! utinam id continuem ex hoc momento usque in æternum! utinam hos omnes pios sensus, affectus, desideria, omnes mihi peculiariter commissi, omnes servi tui, omnes Electi, omnes viatores mecum nunc exercerent, semper exercuissent, deinceps semper exerceant purè propter te, omni possibili meliori modo, profundissima cum submissione, in perpetuas æternitates.

§. II.

*Formula offerendi Sacrificium**Eucharisticum.*

Quanta præterea est magnitudo Bonitatis, Liberalitatis, & Benignitatis tuæ erga nos ingratos mortales! Quàm immensa latitudo beneficentiæ tuæ, & tot tamque multiplicium beneficiorum tam generalium, quàm specialium, tam corporis quàm animæ, tam hujus temporis, quàm

quam æternitatis, omnibus Angelis, & hominibus, maximè Electis tuis triumphantibus & militantibus, mihi que peculiariter ingratiſſimo collatorum & conferendorum! Quàm infinita longitudo ſingulorum, cum promanent ex æterna dilectione tua, & dirigantur ad æternam gloriam nobis impetendam! Quàm inæſtimabilis ſublimitas, cum à te Deo noſtro altiſſimo, ad ſublimiſſimos diviniſſimarum deliciarum ac divitiarum gloriæ & beatitudinis theſauros tecum participandos conferantur! Quàm incomprehenſibilis profunditas cum ex gratuita liberalitate, abſq; meritis, præ tam multis aliis nonnullis peculiariter dilectis, etiam non paucis, uti & mihi poſitive immeritis, tam rara, tam eminentia, tam inæſtimabilia chariſmata communicentur! Quàm imenſa proinde, quàm interminabilis, quàm ſublimis, quàm incomprehenſibilis tibi pro omnibus & ſingulis, ab omnibus & ſingulis gratiarum actio, laus & benedictio debetur, ſingulis momentis temporis & æternitatis! Si vitæ mihi forent tot, quot ſunt vaſti maris guttulæ, ſi
linguæ

linguæ tot, quot sunt momenta in æternitate, si tot corda spirantia effectus Seraphicos, quot concavum cœli Empyreï capit atomos, hisque omnibus te laudare, benedicere & prædicare possem, immò si mecum id possent omnes possibiles creaturæ, idque continuarent æternum, parùm & propè nihil foret ad eas laudes, & gratiarum actiones, quæ infinitæ tuæ liberalitati deberentur. Gaudeo, non posse unquam ab ullis creaturis ullis tuis beneficiis, quantumvis minimis, dignas referri gratias, ob inæstimabilem præstantiam singulorum. Nihilominus omni quo possum modo, & meo, & omnium possibilium creaturarum affectu, laudo, benedico, & glorifico te liberalissimum largitorem, & fontem inexhaustum omnium bonorum naturæ, gratiæ, gloriæ. Eodem affectu gratias tibi ago, & porro agere desidero purè propter te, perfectissimè in omnem æternitatem pro omnibus & singulis beneficiis, sanctissimæ humanitati Domini nostri, beatissimæ Virgini Matri, ejus Electis omnibus, & mihi ingratisimo, immò omnibus, & singulis

E
lis

lis etiam ingratis, & reprobis unquam exhibitis & exhibendis. Verum cum longè minor sim omnibus, & singulis miserationibus tuis, O Pater misericordiarum! nec, quid infinitæ liberalitati tuæ rependam, dignum inveniam præter Filium tuum unigenitum, infinitè tibi dilectum, hunc eundem in sacrificium Eucharisticum offero divinæ Majestati tuæ, unâ cum omnibus gratitudinis excessibus, laudis sacrificiis, & obsequiis infinitæ dignitatis: insuper cum omnibus gratiarum actionibus, seu devotionis, & laudis affectibus B. Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, quos unquam elicuere in via, elicientque in patria. Utinam his, & multò inflammationibus affectibus tibi gratias semper egissem, & deinceps agerem pro omnibus & singulis, gratis propter te intensissimè, ex hoc nunc, & usque in sæculum! utinam mecum idem præstent omnes, nunc semper, æternum.

*§. III. Formula offerendi sacrificium
Propitiatorium.*

Quanta porrò, O Deus infinitè juste & misericors, est multitudo ingrati-
tudi-

rudinis, stupiditatis, & malitiæ meæ,
omniumq; ingratorum filiorum Adam
in tot peccatis, pro tot beneficijs repen-
dendis! Quàm innumerabilis latitudo,
seu multitudo tot culparum lethalium
& venialium, propriarum & alienarum,
olim commissarum, aut quæ commit-
tuntur à me tam ingrato, & inutili ser-
vo tuo, cæterisque ingratis filiis tuis,
quibus incessanter toto orbe terrarum
offenderis, irritaris, exacerbaris! Quàm
immensurabilis longitudo malitiæ sin-
gularum, cum & lethalis minima ne-
queat æternis inferorum incendijs suf-
ficienter plecti, & venialis tam diutur-
nâ ignis purgatorij flammâ debeat ex-
piari: Quàm inæstimabilis altitudo, seu
gravitas singularum, cum & lethalis
minima animam peccantis trucidet,
Deum divinasq; leges pessumdet, Spi-
ritum sanctum suffocet, Christi sangui-
nem conculcet, Dei Filium iterum
crucifigat, divinæ Majestatis jugulum
petat; & venialis, sanctissimam Trinita-
tem contristet, gratiæ cælestis uberio-
rem influxum impediatur, fervorem cha-
ritatis restinguat, animam fœdè con-
spurcet,

spurcet, indignam cælestis Sponsi am-
 plexibus reddat, ingentes pænarum in
 purgatorio luendarum cumulos thesau-
 ricet! Quàm denique abyssalis profun-
 ditas singularum, cū & minima lethalis
 etiam unica, momento perpetrata, into-
 lerabili gehennalium tormentorum, æ-
 ternoque cruciatu justissimo Dei judi-
 cio mulctetur, & quidem infra condigo-
 num, nec in æternum unquam expietur
 & venialis etiam minima, tempore
 gratiæ non expiata, in dilectissimis Dei
 amicis, filiis Sponsi, tam acerbâ susper-
 sione plectatur, tamq; dirâ purgantium
 flammarū expiatione diluatur! Quàm
 intenso igitur compunctionis affectu
 plangere, quàm ubere & perenni lacry-
 marum profluvio expiare dies noctesq;
 me oportet tot tam varias, tam graves
 meas, aliorumq; quas humeris meis im-
 positas sentio iniquitates, superantes
 numerum arenæ maris! Fateor, non suf-
 ficere meas omniumq; hominum pos-
 sibiles lachrymas, etiamsi tot tantæque
 forent, ut immensum oceanum adæ-
 quarēt, ad dignè diluendas tot tantæq;
 injurias, quibus inviolabile nomen
 tuum

cuum incessanter violatur, quod nec pro infinitorum mundorum salute æterna obtinenda, vel conservanda, si fieri posset, ne venialissimo quidem peccato uno esset offendendum. Doleo nihilominus de omnibus & singulis, magnis & parvis, propriis & alienis, imò totius mundi offensis ex puro amore tui, non ob ullum metum supplicij, aut spem præmij, omni quo possum possibili, & meo, & omnium etiam possibilem creaturarum affectu, nunc semper, æternum. Cupio animitus omnia emendare & contrariis virtutum actibus & obsequiis compensare, aliosque ad idem faciendum verbo & exemplo excitare, & oratione, consilioque adjuvare, cum certa spe veniæ, gratiæ, & misericordiæ apud te Patrem misericordiarum impetrandæ: quam ut sine ullo infinitæ tuæ justitiæ præjudicio præstare possis, eni in compensationem tantarum injuriarum, cum aliud pretium suppetat nullum, offero tibi dilectissimum Filium, hostiam placationis dignissimam, & sufficientissimam, pro meis, & totius mundi peccatis, cum omnibus illius

lachrymis, laboribus, sudoribus, opprobriis & sanguinis effusionibus infinitæ dignitatis, cujus bona merita infinitis excedunt passibus nostra mala merita: insuper his unitas offero satisfactionis, & compunctionis lachrymas omnium Electorum tuorum unquam fusas aut fundendas, tam prorsus, quam alienis delictis. Utinam nunquam te Deum meum infinitè amabilem offendissem, nec offenderem post hac in æternum! Utinam de omnibus peccatis meis, & totius mundi sic doluissem, & deinceps dolerem intensissimè propter te: Utinam crebrius, dignius, & devotius hanc dignissimam placationis hostiam obtulissem, & porrò semper offerrem: Utinam hæc eadem mecum præstarent nunc, præstitissent semper; & porrò præstarent omnes, omni possibili affectu, purè propter te, usque ad extremum vitæ halitum.

§. IV. Formula offerendi Sacrificium Impetratorium.

Quanta demùm est misericordissimè Deus abyssus necessitatum & miseriarum mearum, omniumque pro quibus

bus mihi ex officio meo supplicare, & hostias pacificas tuæ divinæ Majestati immolare incumbit! Quàm inenarrabilis latitudo, seu multitudo, tam multiplicium concupiscentiarum infirmitatum, tentationum, tribulationum, ærumnarumque corporis & animæ quibuscum colluctamur! tot insuper, tamque diversorum præsidiorum, & bonorum naturæ, gratiæ, gloriæ, quibus egemus! Quàm immensa earundem necessitatum longitudo seu duratio, quarum nonnulla continuò tot annis perdurant ex quarum non paucis beata, aut misera tot animarum dependet æternitas! Quàm incomprehensibilis altitudo, seu gravitas nonnullarum, cum pondere suo immani non rarò tot nobilissimas animas, pretiosissimi Filij tui sanguine redemptas, omni spe cælestis beatitudinis adipiscendæ exuant, atq; baratrum æternæ damnationis demergant! Quàm abyssalis profunditas earundem, cum ex inscrutabili abyffo occultorū quidē, sed justissimorum judiciorum tuorū non rarò multiplicentur, augeantur, intendantur, cū tot etiam dilectissimorū

80 *Quadruplex Sacrificium:*

filiorum tuorum dolore & gemitu! cum
tot insuper reproborum temporali & æ-
terno interitu! Quid ad has omnes mi-
serias nostras amoliendas, ad hæc omnia
bona, incolumitati mentis & corporis
opportuna impetranda, offeram tibi, O
Pater misericordiarum! cum nihil in me
dignum, nihil non peccatorum & im-
perfectiorum; sordibus inquinatum re-
periam! Ecquam aliam sufficientem, ti-
biq; placentem pacificam hostiam im-
molabo, quàm Unigenitum tuum, Sal-
vatorem nostrum, cum infinitis suorum
sanctissimorum gemituum, desiderio-
rum, laborum, dolorum, cruciatuum,
opprobriorum, sanguinis effusionum,
mortisq; ignominiosissimæ spontè obi-
tæ thesauris. Hanc ergo immaculatissi-
mam Hostiam infiniti valoris, unà cum
meritis B. V. Mariæ, omniumque San-
ctorum offero divinæ Majestati tuæ,
pro meis, omniumque mihi commissio-
rum, & pro quibus me vis orare, neces-
sitatibus sublevandis.

§. V. Formula formandi Intentionem.

Dignare suscipere, O beata Trinitas,
Unus Deus! hoc sacrosanctū Sacrifi-
cium

um corporis & sanguinis Domini nostri
Jesu Christi, quod ego indignus pecca-
tor, & inutilis servus tuus, nomine totius
Ecclesiae tuae sanctae, omnium Sancto-
rum triumphantium & militantium,
omniumque possibilium creaturarum,
possibilireverentiae, gratitudinis, amoris
& devotionis affectu, offero divinae
Majestati tuae, unà cum sacrificijs om-
nibus tibi placitis, unquam oblatis &
offerendis; in unione sanctissimi illius
sacrificij, quod idem Unigenitus ab æ-
terno, primo ingressu in mundum, totâ
vita offerre desideravit, in ultima cœna
& cruce obtulit, & nunc offert, tanquã
summus & sempiternus Pontifex assis-
tens ad dexteram tuam, & interpellans
pro nobis, ex sincero amore tui, qui infi-
nito amore & honore es dignissimus, ac
desiderio sanctissimi beneplaciti tui
complendi, & faciendi, quod ipse insti-
tuit ac præscripsit, secundum sanctissi-
mam ejusdem ac sanctae matris Eccle-
siae intentionem.

1. Ad maximam, æternamque divi-
nae Majestatis tuae laudem, cultum, ob-
sequium, honorem & gloriam.

2. In protestationem supremæ tuæ excellentiæ, dominij tui in omnes creaturas, & omnimodæ nostræ subjectionis & dependentiæ à te.

3. In perpetuam commemorationem ac venerationem tam gratiosæ & gloriosæ Incarnationis Nativitatis, Passionis Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi.

4. In honorem & augmentum gloriæ B. V. M. Sanctorum hodiernorum, Patronorū meorum, omniumq; Beatorū.

5. In gratiarum actionem, recognitionem æternam tam inæstimabilis beneficij redemptionis, prædestinationis, item creationis, conservationis, justificationis, finalis perseverantiæ, glorificationis, omniumq; aliorum, maximè eximiorum privilegiorum, & ejusdem D. N. Jesu Christi, & B. Matri ejus, Sanctis hodiernis, Patronis meis, beatis comprehensoribus, ac prædestinatis viatoribus omnibus & singulis, & mihi ingratiſſimo hucusque collatorum, & conferendorum in æternum.

6. In satisfactionem & propitiationem pro meis, eorumque pro quibus peculia-

Formula offerendi

83

peculiariter Missam celebrare [audire] intendo, omniumque fidelium vivorum & defunctorum peccatis.

7. Singulariter autem, & primariè offero divinæ Majestati tuæ hanc immaculatam hostiam pro his NN. vel pro hac re, vel gratia consequenda. Secundiò etiam (prout scis & vis fieri posse, absque præjudicio eorum, pro quibus principaliter offerre intendo) pro omnibus mihi peculiariter commendatis, & pro quibus orare soleo, & teneor, pro omnibus denique tam vivis quàm defunctis, pro quibus Unigenitus tuus Dominus noster seipsum incruentè in cœna, cruentè in cruce obtulit, ut defunctis requiem indulgeas, vivisque gratiam concedas te glorificandi nunc perfectè in via, olim beatè in patria, per infinita sæculorum sæcula.

§. VI.

Formula faciendi Memento.

Memento igitur clementissimè per paternam infinitæ misericordiæ viscera per infinita dilectissimi Filij tui, quem pro nobis olim oblatum nunc denuò offero metita, per eximia beatæ

E o

V 15-

Virginis Matris ejus, & omnium San-
 ctorum unquam tibi exhibita obsequia
 imprimis Ecclesiæ tuæ sanctæ, ejusdem
 Filii tui Sponsæ, quã acquisivit sangui-
 ne suo, præcipuorum ejus membrorum;
 summi Pontificis, Episcoporum, Præ-
 latorum, Pastorum animarum, Impe-
 ratoris, Regum, Principum, Magistra-
 tum, omniumq; qui maximè possunt
 gloriæ tuæ, & saluti animarum propa-
 gandæ prodesse, vel obesse; illam toto
 orbe terrarum dilatando, coadunando,
 gubernando, protegendo, exaltando,
 sanctificando, absque macula & ruga
 conservando, ut per eã & in ea perfectè
 ab omnibus glorificeris in æternum, hos
 tuos in terris vicarios, ac ministros. viros
 secundum cor tuum efficiendo, zeloq;
 gloriæ tuæ & salutis animarum inflam-
 mando, ut & ipsi corde perfecto omnes
 voluntates tuas faciant, subditosque si-
 bi verbo, exemplo, consilio, imperio, &
 auxilio ad fidem inducant.

Miserere deinde omnium Statuum
 Ecclesiasticorum, Religiosorum, Secu-
 larium, præcipuè Statûs, vel Ordinis,
 vel Congregationis, vel Societatis no-
 stræ,

stræ, omnium ejus Superiorum, membrorum, amicorum, & inimicorum, omniumque eorum quos horum operâ vis converti, instrui, in via salutis promoveri, omnes & singulos copiosæ gratiæ tuæ radiis illustrando, & sinceræ charitatis tuæ flammis accendendo, ut omni humano respectu semoto cujuscunque sint statûs & Ordinis, se invicem tanquam fratres & filios tuos charissimos intimè diligant, mutuis officiis juvent, exemplis excitent, non quæ sua sunt, quærant, sed ad unicam tuam gloriam, & animarum salutem promovendam unanimiter conspirent.

Memento item, & miserere omnium, pro quibus singulariter orare teneor, parentum, fratrum, sororû, consanguineorum, benefactorum, & amicorum meorum, omnium qui se mihi comendârunt, qui me contristaverunt, & quos ego contristavi; offendi, & juvare neglexi, eorumque quos per me indignum vis juvari, & in viam salutis dirigi: omnium innocentium, in gratia constitutorum, bona desideria habentium; agonizantium item, infirmorum, tentato-

rum afflictorum , omnibus & singulis
 copiosos misericordiae tuae thesauros
 aperiendo, clementer eorum necessita-
 tibus subveniendo , piis de sideriis aspi-
 rando , auxiliumque gratiae tuae praes-
 tando, ut à peccatis liberati, bonis ope-
 ribus abundare, te aeternam charitate di-
 ligere, tuoque in omnibus sanctissimo
 beneplacito se in vita & morte con-
 formare possent. Misere praeterea, ô
 Pater misericordiarum ! tot miserorum
 peccati lethiferi laqueis constrictorum,
 impoenitentium , & obstinatorum, tot
 in densis ignorantiae, schismatis, haere-
 seos , perfidiae & infidelitatis tenebris
 pereuntium, benignè eos misericordiae
 tuae oculis respiciendo, solis justitiae ra-
 diis illustrando , dulcedine gratiae tuae
 emolliendo, ad gremium Ecclesiae san-
 ctæ revocando, ut & ipsi agnoscant, ti-
 meant, & diligant te , & quem misisti
 Jesum Christum , aeternumque glori-
 ficent.

Misere denique animatum omni-
 um fidelium defunctorum , in virtute
 hujus ejusdem pretiosissimi sacrificij ,
 totae clementiae tuae ardores earum
 tempe

Formula faciendi memento. 87

temperando, eisque locum refrigerij, lucis ac pacis indulgendo: ut à pœnis ereptæ, & optatissimâ dulcissimi Vultus tui contemplatione potitæ, æternum te pro me ardentissimè ament, benedicant, laudent, & superexaltent in cælis, cui ego tam tepidè & imperfectè servio in terris.

Horum, inquam, omnium miserere, & mei imprimis, tam ingrati peccatoris, tam indigni servuli, tam prodigi filij, per paterna viscera tua, per merita dulcissimi Filij, beatæ Virginis Matris ejus, & omnium Sanctorum, gratiam largiens, ut te totâ virtute, gratis propter te, super omnia diligere, tuumque sanctissimum beneplacitum semper & in omnibus, venerari, amplecti, exoculari, & constanter exequi valeamus, nunc, semper, æternum. Amen.

Hæc ex Industrijs R. P. Christ.
Mayeri S. J. Theol.
Doctoris.

ME.

Praxis brevissima
METHODUS

VI.

P R A X I S B R E V I S S I M A

pro Sacerdotibus piè celebrandi,
*Et aequè pro non Sacerdotibus devotè
 communicandi. Cùm ante , tùm
 post Missam utilis.*

Observe hîc actus præcipuarum
 Virtutum.

A D O R A T I O N I S E T G R A -
tiarum actionis.

O Dulcissime Salvator, Christe Jesu!
 qui ex nimia charitate nos miserè
 perditos redemisti pretio sanguinis tui:
 & in hujus amoris tui memoriam, nec
 non in pignus futuræ gloriæ, tam ad-
 mirabili potentiâ, sapientiâ, & bonitate
 dedisti nobis in cibum & potum ipsum
 corpus & sanguinem tuum: denique ad
 hæc divina mysteria, me vilissimum
 peccatorem in numerum tuorum Ser-
 vorum (Sacerdotum) tuâ ineffabili cle-
 mentiâ vocare dignatus es.

Adoro te ex toto corde, & gratias tibi
 ago ex intimis visceribus animæ meæ,
 pro tam immensis beneficiis tuis, & af-
 fectus omniū Electorum mihi medul-
 litus

litus opto, ut placere tibi possim in hoc opere, quod facturus sum, vel (feci.)

CONTRITIONIS.

Sed heu me miserum! qui hætenus tam indignæ invocatione mea vixi, & toties & tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis (præsertim his.) sed nunc de iis doleo ex intimo corde meo, ob amorem tui super omnia: & deinceps tibi soli servire, placere, & adhærere propono.

PVRÆ INTENTIONIS.

Proindeque nunc accedens ad mensam Convivij tui, ex omni affectu cordis mei Tibi (hoc sacrificium Missæ) dignissimam hostiam corporis & sanguinis tui, quam tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, offero ad laudem & gloriam æternæ Majestatis tuæ: in memoriam S. Incarnationis, vitæ, Passionis ac Mortis tuæ. In gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficiis toti cœtui Electorum, & mihi indignissimo peccatori huc usque præstitis, vel unquam præstandis. Pro salute quoque fidelium vivorum N. ex solatio defunctorum N. Et utinam ex omni affectu,

affectu, fervore & desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in cælis, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande tuæ pietatis opus peragere possem (vel potuissem)

F I D E I.

COrde siquidem credo, mi Jesu! & Core confiteor, quia Pater æternus, Deus seipso summè beatus, potens, perfectus, & nullius egens, secundum infinitam misericordiam suam sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem: Credo quoque, quod tu ipse Patri æqualis per omnia, ex vi immensæ charitatis tuæ de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, & propter nos homo factus es. Et quod ex amore nostri hoc Sacramentum in ultima cœna instituens, verum corpus & sanguinem tuum, id est, te ipsum nobis ad manducandum dedisti. Et denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem, te ipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

S P E I.

IDeoque spero in te, magnâ fiduciâ venio ad te, ô Domine! qui nostri
causa

causa
volu
mast

A

ceps

SE

pr

quæ

totu

ro in

lunt

H

V

terra

inut

ac D

min

meu

susc

imm

nop

om

causa tam mira facere, & tam dira pati
voluisti. Quid enim negabis, qui sic a-
masti, ut te ipsum dares.

A M O R I S.

A Mo te quoq; , ô bone Jesu! ex tota
virtute cordis mei, & semper deia-
ceps & in æternum amabo, si tu dederis.

Oblationis & Resignationis sui.

S Ed quid retribuam tibi , Domine,
pro tanto munere, & pro omnibus ,
quæ retribuisti mihi : Ecce me ipsum
totum, corpus, animam, & omnia offe-
ro in beneplacitum benignissimæ vo-
luntatis tuæ.

HVMILITATIS ET VNIONIS

cum meritis Christi.

V Erum quid habeo, quod non acce-
perim! Quid vilis creatura, vermis
terræ, miser peccator, pauper, & seruus
inutilis præstare poterit Deo Creatori,
ac Domino suo? Tu ipse potius, ô Do-
mine ! utpote Advocatus & Mediator
meus, dives in meritis & miserationibus,
suscipe causam meam. Et ex thesauro
immensæ charitatis tuæ , fer opem i-
nopiæ meæ , & pretium sanguinis tui,
omniumq; meritorum tuorum repræ-
senta

92 *Praxis brevissima piè celebrandi.*
senta æterno Patri tuo, & hinc supple
omnem defectum meum, præcipuè
hujus meæ, heu! nimis modicæ & im-
perfectæ præparationis, quâ ad hæc sa-
cro sancta mysteria venio, ut sic ei, per te
placeat obsequium indignissimæ ser-
vitutis meæ.

POSTV LATION I S.

FAc etiam, O bone Jesu! per omnes
miserationes tuas, ut hoc tremendum
mysterium, & admirabile donum chari-
tatis tuæ, debitâ semper fide, reverentiâ
& gratitudine prosequar: idque puro &
ardenti corde nunc & semper recipiam.
Statum hunc quoq; meum N. ad quem
me singulari gratiâ vocare dignatus es,
charitate, castitate, humilitate, mansue-
tudine, patientiâ, sobrietate &c. mori-
busq; tibi placitis, & fideli servo tuo (sa-
cerdote) dignis excolere studeam. Idque
ut servitus mea magis tibi placeat, ad
majorem gloriam tuam, Ecclesiæ utili-
tatem, & propriam proximiq; salutem.

Abnegationis sui & unionis cum Deo.

UNde tandem supplex rogo, ut per
virtutem corporis & sanguinis tui,
abstrahas cor meum efficaciter ab om-
nibus

Praxis precipuarum Virtutum. 93
nibus noxiis affectibus N. qui gustum
& fructum hujus Sacramenti impedi-
unt, & intimè tibi unias, & incorpores,
ut gustem quàm suavis sis, Domine, &
unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me
& ego in te maneam, adeoque nihil sit,
quod me unquam separare valeat à te.
Nam tibi adhærere mihi bonum est.
&c. Quid enim mihi est in cælo, & à te
quid volui super terram? O pars mea,
Deus in æternum!
Ex varijs selectis libris.

METHODUS

VII.

PRAxis PRÆCIPUARUM
Virtutum ad salutem necessariorum.

*Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, &
Religionis.*

Ante vel post Sacrum, vel quovis per
diem tempore exercendarum,

IMPERIVM CHARITATIS.

Diligo te, Bonitas infinita! Deus me-
us! super omnia, ex toto corde meo
propter te ipsum: quia scio volunta-
tem tuam esse, & quàm maximè placere
tibi, ut credam in te, sperem in te, ado-
rem

94 *Praxis precipuarum Virtutum.*

rem & colam te, Ecce me: paratum cor meum, ut faciam voluntatem tuam, ut glorificem te & placeam tibi.

§. 1. *Actus Fidei.*

TEstimonia tua Domine, credibilia facta sunt nimis: ut inexcusabilis sit omnis incredulus: Ecce me, volo: loquere Domine, quia audit servus tuus.

O Sapientia infinita, quæ fallere non potes! prima & æterna veritas! Deus meus.

Credo te, & credo tibi in omnibus quæ revelasti, & per Ecclesiam, sponsam tuam, quæ columna est ac firmamentum veritatis, mihi credenda proponis, siue scripta sint, siue non sint: & tametsi obscura sint, & omnem mentis meæ captum quàm longissimè superent, adjuvante te, Domine, incredulitatem meam, credo, nihil dubitans, nihil hæsitans, longè majore cum certitudine, quàm de re ulla, quam vel oculis videam, vel evidentissimâ ratione cognoscam, habere possim.

Ideoque in iis omnibus, etiam in inferioribus his, quæ sub sensum cadunt, intel-

intellectus mei imbecillitatem agnos-
cens, omni curiositate, præsumptione,
proprio iudicio deposito, altiora me
non quæram, fortiora me non scrutabor
sed in humillima & simplicissima fide
lubens dabo divinæ Majestati, ac om-
nipotentiaæ tuæ, eam aliquid esse, &
posse, quod me fatear investigare non
posse. Atque ita non modo omnem
intellectum, sed omnem sensum in cap-
tivitatem redigo, in obsequium fidei
tuæ; ut me non solum velut Idiotam,
aut parvum, tibi & Ecclesiæ tuæ insti-
tuendum subjiciam; sed potius veluti
cæcum de rei cujusque coloribus edo-
cendum. Immo verò, quoniam hucus-
que adjuvas incredulitatem meam, De-
us meus, non solum credo firmissimè
ea, quæ sensibus non percipio, aut hu-
manâ ratione non assequor; sed ut pa-
ter omnium credentium Abraham,
contra spem in spem credidit, sic & ip-
se, contra quàm video, quàm tango,
quam olfacio, quam gusto, quam in-
telligo; credo: ac velut omnis sensus
& humanæ rationis expers fio, solo
auditu, ex quo fides est, ad audien-
dum,

96 *Praxis precipuarum Virtutum.*
dum , quid mihi per Ecclesiam tuam
loquaris, intentus.

Hujus immaculatæ fidei tuæ verita-
tem, Deus meus, in justitia non detine-
bo, nec ea per peccata mea, aut sine ope-
ribus in me mortua erit; sed justus tuus
per charitatem tuam, ex fide vivam, ex
fide operabor, quæ per eam cognovero,
quàm maximè placere tibi. Hæreses ve-
ro omnes, animarum pestes , diabolica
inventæ; hæreticos , diaboli filios, qui
per intolerabilem superbiam erigunt se
adversum te, & Ecclesiam tuam, abo-
minor, detestor, execror : & in hac una
fide sic fortis sto , ut non confundar
confitei eam non solum in Ecclesia tua
sed coram omnibus gentibus, & univer-
so mundo. Immo sic confido in te, Do-
mine, qui das robur fidei meæ , quod si
oportuerit me commori cum Christo,
non eum negabo; paratus enim sum, si-
quidem optatissimum illud mihi con-
cesseris, profuso sanguine, ac vitâ mea,
hujus sanctissimæ fidei tuæ obsignare
veritatem.

Adauge mihi fidem, Deus meus, per
Jesum Christum Dominum nostrum,
qui

P
qui f
luce
veni
vit &
rum.

O
quie
derio
rudo
desio

E
me S
justi
suav
mih
nim
& a

Q
tam
sed
rem
pect
vis
nem
priu

qui factus est nobis lux vera, in tenebris lucens, & illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

§. II. Actus Spei.

O Infinitum, immensum, æternum, & summum bonum meum! sola quies cordis mei! satietas omnium desideriorum meorum! consummata beatitudo mea! Deus meus! te solum amo, te desidero, ad te suspiro.

Et, ô Omnipotens, & misericordissime Salvator! fidelissime in promissis & justissime remunerator! fortissime & suavissime adjutor! & tu ipse hæreditas mihi præclara, & merces mea magnanimis! à te solo, te ipsum solum spero, & æternam tui ipsius fruitionem,

Quamvis non sine meritis meis, non tamen propter ea, quatenus mea sunt; sed quatenus tua dona, quæ unâ cum remissionem peccatorum meorum à te expecto, qui das omnibus sufficienter, & vis omnes homines salvos fieri, & neminem perire; nec quemquam deseris, nisi prius ab ipso deseraris: tu enim es sola sa-

F

lus,

98 *Praxis precipuarum Virtutum.*

lus, & salvatio mea, Deus meus, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis & sanas omnes infirmitates meas; qui redimis de interitu vitam meam, & coronas me in miserationibus, qui repleas in bonis desiderium meum. Nunc ergo, quæ expectatio mea: nonne Dominus? & substantia mea apud te est. Quid enim mihi est in cælo? & a te quid volui super terram! defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum: Fecisti me. Domine. ad te, & inquietum est cor meum, nec invenit in creaturis omnibus in cælo, vel in terra, ubi requiescat pes meus, donec requiescam in te. Egenus, & pauper sum, & omnis copia, quæ Deus meus non es, egestas est mihi: famelicus sum, & sitibundus, & non satiabor, nisi dum apparuerit gloria tua: Afflictus, & desolatus sum nimis, & renuit consolari anima mea: memor fui tui, & delectatus sum. Sedeo in tenebris, & in umbra mortis, & in nocte hac te solum desideravit anima mea quia tu solus illuminas lucernam meam. Deus meus, illumina

tene-

tenebras meas , illumina vultum tuum
super me , & miserere mei. Tibi soli
dixit cor meum : exquisivit te facies
mea, faciem tuam, Domine, requiram,
in lumine vultus tui ambulabo ; adim-
plebis me lætitiâ cum vultu tuo , &
omnes delectationes meæ in dextera
tua usque in finem, sine fine, & in æter-
num. Ostende mihi faciem tuam , &
salvus ero. Non videbit te homo, & vi-
vet. Eja Domine, moriar , ut videam;
videam, ut moriar !

Interim verò, dum adhuc differs desi-
derium meum, & prolongas incolatum
meum in terra , in valle lachrymarum,
in loco quem posui mihi per peccata
mea; ascensiones ad te disponam in cor-
de meo; & ut aliquando perveniam , &
appaream ante faciem tuam, nihil tam
arduum erit, quò non pertingam, nihil
tam difficile quod non superabo. Nam
licet sine te nihil possim facere , omnia
tamen possum in te, qui me confortas:
& tu benedictionē dabis, legislator; ibo
in virtutem, donec videam te Deum de-
orum in Syon, civitate pacis perfectæ.

Si omnes fluctus iræ & indignationis

100 *Praxis precipuarum Virtutum.*

tuæ induxeris super me, & affligens me dolore non peperceris etiam animæ meæ; immò etiamsi occideris me, in te sperabo, Deus meus! Scio enim quia fidelis es, & non permittes me tentari supra id quod possum; sed facias etiam cum tentatione proventum, ut possim sustinere. non solum autem; sed & gloriabor in tribulationibus, in spe gloriæ filiorum Dei, sciens, quod tribulatio patientiam operatur, patientiâ autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Id enim, quod in præsentibus est momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum: in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quod in te ipso præparasti, Deus diligentibus te. Reposita est hæc spes mea in sinu meo: nunc, & in hora mortis meæ, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui mediator & spes nostra, factus est nobis justitia, sanctificatio, redemptio, & spes glo-

112:

Praxis precipuarum Virtutum. 101
ria æternæ : Qui vivit & regnat Deus
noster in sæcula sæculorum. Amen.

§. III. *Actus Charitatis.*

O Bonitas immensa! beatitudo æter-
na! amabilitas infinita! Deus meus!
fons, origo, exemplar, & finis ultimus,
à quo, secundum quem, & propter quæ
est omne bonum, pulchrum, amabile!
In te solo, quæ in universis creaturis e-
tiam inter splendores gratiæ, & gloriæ
Sanctorum omnium, defectum patitur,
& certis limitibus coarctatur, bonitas,
pulchritudo amabilitas, defectum nes-
cit; & principio ac fine carens, tanta est,
ut major esse non possit : & nunquam
tanta à me excogitari potest quin sit
major. Confortata est & non potero ad
eam.

Diligo te, Domine Deus meus, super
omne bonum, pulchrum, amabile, quod
vel in me ipso, vel in alia quavis creatu-
ra amare possum. Diligo te ex toto
corde meo, ex tota anima mea, ex totis
viribus meis, ex tota mente mea : ita ut
te solum amem, & nihil tecum amem,
quod propter te non amem. Amo te,
tibi, & propter te ipsum : quia es,

quod es, & infinito amore dignissimus es. Exultat præ gaudio spiritus meus in te, quòd super quam cogitare possum, bonus & pulcher; & super quam te amare possum, amabilis sis; & quòd tu saltè, dilectissime Deus, qui solus bonitatem & pulchritudinem tuam, quantum comprehendibilis est, comprehendis, te ipsum ames, quantum amabilis es. Amo & volo tibi omne bonum etiam extra te: quidquid nimirum tu ipse vis, & nolo quidquid non vis: & solum ideo illud volo, quia vis; & ideo illud nolo, quia non vis. Præsta amabilissime Deus, in voluntate tua, hanc decori mei in te amoris virtutem, ut in abundantia bonorum omnium, tam corporis quam animi, in hac vita, etiam gratiæ tuæ & consolationum tuarum, immò & in altera vita in abundantia beatitudinis & gloriæ tuæ, nihil amem, nihil desiderem, nihil me delectet, quam illud unum, quod in me, & in omnibus, à me & de omnibus fiat sanctissima voluntas tua, sicut in cælo, ita in terra.

Si verò hæc omnia postquam dedisti
abstu-

Praxis precipuarum Virtutum. 103

abstuleris, modò sicut tibi placuit, sic fiat, sit nomen tuum benedictum ! postquam propter voluntatem tuam bona de manu tua suscepi, cur propter eandem voluntatem tuam de eadem manu mala non suscipiam? Aquæ miseriarum multæ etiamsi intraverint usque ad animam meam, non poterunt extinguere charitatem tuam, nec perpetuo fluxu super me labentia dolorum flumina obruent illam : sed illud omne gaudium meum existimabo, cùm in varias, multas & malas tribulationes incidero, quòd affligens me dolore non parces, sed impleatur in me, & in omnibus amabilissima voluntas tua, ubique, & in omni æternitate.

Immodò si mirifica, Deus optime, cum Sanctis tuis, qui in terra sunt, omnes voluntates tuas in me, ut cùm infirmatus fuero, & multiplicatæ fuerint infirmitates meæ, vel sic a meipsum & creaturarum amore abstractus, potentior fiam & postea accelerem ad magis te amandum, & perfectius inhærendum uni sanctissimæ voluntati tuæ. Morior mihi ipsi & creaturis omnibus, Deus meus, & amore tui Christi configor cruci,

104 *Praxis precipuarum Virtutum:*

vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus, in quo semper tibi bene complacuit. per quem, & cum quo vita mea abscondita est in te, ut nihil velim, nihil amem, nisi te, & sanctissimam tuam in omnibus & per omnia voluntatem, & legem tuam in medio cordis mei, ut nulla creatura me separet à charitate tua, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, qui cum Deo Patre seipsum amans, Deum amorem producit, Spiritum, quem per charitatem suam effudit in nos. O ignis, qui semper ardes & nunquam extingueris! O amor, qui semper ferves, & nunquam tepescis! accende me, accendar inquam rotus à te; Per eundem Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum, & cum Deo Patre, vivit & regnat in Trinitate perfecta. Deus noster in sæcula sæculorum. Amen.

§. IV. *Actus Contritionis.*

Eheu! Deus meus! quid feci? per summam injuriam posthabui te vilissimæ creaturæ! aversus sum à te, ô pulchritudo æterna! ô immensa bonitas! te offendi! ô amabilitas infinita, te
dere-

Praxis precipuarum Virtutum. 105

dereliqui! Arguit me malitia mea, ipsa increpat me. Et scio, & video; quia malum & amarum est, reliquisse me Dominum Deum meum. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: quem solum diligere, cui soli placere debueram. Imperfectum meum & peccata mea viderunt oculi tui, & quia mundi sunt ne videant malum, displicent illis, & infinito odio oderunt ea, ac detestantur. Ideo displicent & mihi: detestor ea super omne malum, super omne odibile ac detestabile, Et eheu! Deus meus doleo super quàm de ullo alio dolere possum, & ex toto corde meo, & ex tota anima mea, ex totis viribus meis, ex tota mente mea, quod vel ad momentum unquam aversum fuerim à te; offenderim te, & recesserim à te; à lege tua immaculata, & sanctissima voluntate tua: & hoc solum; quia es Deus infinito amore dignus, quem propter temetipsum super omnia ex toto corde diligo.

Peccavi! quid faciam tibi, ô custos hominum. unicus amor meus, doleo! & heu doleo quòd non magis doleam. Non ponar amplius contrarius tibi,

non

106 *Praxis precipuarum Virtutum.*
non committam illud amplius in æter-
num. Discedite à me omnes, qui opera-
mini iniquitatem! procul à me sint om-
nes occasiones quibus sic oblitus sum
tui! satisfaciam lubens pro peccatis meis.
Si quid aliquem defraudavi, restituum;
si ab aliquo offensus sum, remitto illi
de intimo corde meo, ut & tu miseri-
cors remittas mihi.

Miserere mihi, Deus secundum mag-
nam misericordiam tuam, & secundum
multitudinem miserationum tuarum
averte faciem tuam à peccatis meis, &
omnes iniquitates meas dele: per visce-
ra misericordiæ tuæ, Jesum Christum,
Dominum nostrum, quem advocatum
habemus apud te: qui est propitiatio
pro peccatis nostris: qui dilexit me, &
tradidit semetipsum pro me, & lavit
me à peccatis meis in sanguine suo, per
sanctum pœnitentiæ Sacramentum in
quo dixi: Confitebor adversum me
injustitiam meam, & tu remisisti im-
pietatem peccati mei. Ita spero, ita
confido, quia cor contritum & humili-
atum Deus, non despiciet: per eun-
dem Jesum Christum Dominum nos-
trum

strum, qui cum Patre & Spiritu sancto
in Trinitate perfecta Deus, in seipso
Mundum reconcilians sibi, vivit &
regnat in sæcula sæculorum. Amen,

§. V.

A P P E N D I X.

*Ad actum Contritionis, & expellendas
Reliquias peccatorum.*

Amplius, amplius lava me, Domine,
&c. quære supra fol. 4.

§. VI.

Actus Religionis.

O Majestas infinita! Sanctitas æ-
terna! Omnipotentia interminabi-
lis! Deus meus! supreme omnium bo-
norum fons & auctor, qui solus es,
quod es, & à nemine habes, quod sis:
coram te omnia sunt, quasi non sint,
& à te solo habent, quod sunt, possunt,
operantur. Solo enim omni-
potenti verbo, ex nihilo fecisti omnia,
cælum & terram, & quidquid
cæli ambitu continetur, & ita susti-
nes ea, ut si vel ad momentum manum
subtraxeris, in nihilum zelabantur,
Dominus universorum tu es, & Rex
omni

omnium seculorum, terribilis & tremendus, Rex Regum, & Dominus dominantium; in cuius ditione cuncta sunt posita.

Agnosco coram te meam, & rerum omnium nihilitatem ac mendicitatem: retraho & reduco me ipsum cum iis omnibus in profundissimam nihili abyssum; ut nihil jam appareat in omnibus, & per omnia, nisi tu solus, in omnipotentia, sanctitate & maiestate tua. Deinde vero si reduxero ea in se, & in id quod à te participant, quid sunt hæc omnia? omnis, inquam, cælestium spirituum & aliarum creaturarum omnium in unum conflatus numerus, magnitudo, & omnis etiam gratiæ & gloriæ splendor, si comparentur ad immensitatem, æternitatem, infinitudinem tuam? Pila nimirum modica, quam digito appendis; guttula roris ante lucani; momentum unum, quod non incipit, quin esse desinat. Horum autem quantula ego pars sum! pulviculus & cinis modicus ego sum, & substantia mea tanquam nihilum ante te: & dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?

Quid

Quid est homo, & talis homo, qualis ego sum, quod memor es ejus, & quia innotuisti ei? aut filius hominis; quia visitas eum, quia reputas eum, quia magnificas eum, quia apponis erga eum cor tuum? Prosterne me coram te, sacro plenus horrore ac reverentiâ in conspectu, & consortio Angelorum, & Sanctorum omnium. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt cæli & terra majestatis gloriæ tuæ! Adoro te supremo, quo possum cultu; laudo, benedico, gratias ago tibi, & subjecta erit tibi anima mea, & sanctissimæ legi tuæ in æternum, ô Domine! quia ego servus tuus sum; da mihi intellectum, ut sciam, & custodiam mandata tua, in hoc solum gloriabor, quod serviam tibi, cui servire, regnare est. Quidquid sum, quidquid habeo, quidquid possum, quidquid operor, devoveo totum tibi, & obsequiis tuis, tua enim sunt omnia, & quæ de manu tua accepi, reddo tibi, offerro, & sacrifico in holocaustum perfectum, quod tui solius amoris sacro igne absumatur, in quo nullam rapinam faciam, nil mihi aut ulli creature sumptiam.

G

In

110 *Praxis precipuarum Virtutum*

In unionem sacrosancti illius unici ac veri novæ legis Sacrificij, quod semel cruentum tibi obtulit in ara crucis in odorem suavitatis, in quo tibi bene complacevit, ad cuius solius munera respexit, propter quem solum ad nos respicis & ad munera nostra, summus in æternum Sacerdos Jesus Christus: & quod ex testamento ejus, ultimâ voluntate, ac mandato jam incruentum quotidie in Ecclesia instauramus; in quo sumus honor, & gloria tibi defertur, quæ ab ulla creatura deferri potest in cælo & in terra: in quo omnia non modo divina sunt, sed quodammodo ipse Deus. Offeritur enim tibi hostia Christus Deus, ab ipso Christo Deo, cuius personam Sacerdos sustinet, verbis ipsius Christi Dei.

In Sacrificium recognitionis, æternæ sanctitatis, & infinitæ majestatis tuæ, quod sis fons & auctor bonorum omnium & supremus omnium creaturarum Dominus

In sacrificium laudis, & gratiarum actionis; propter immensam gloriam tuam quam intra & extra te possides; & pro beneficiis, quæ omnibus omnino

COR.

Praxis præcipuarum Virtutum, III
contulisti in cælo & in terra, ac mihi
præsertim ingratiſſimo peccatori.

In sacrificium spiritus contribulati,
ad satisfaciendum pro meis & totius
mundi, omnium, inquam, vivorum ac
defunctorum peccatis,

In sacrificium justitiæ, quo spero in
te; ad impetrandum ut mecum omnes
quàm perfectissimè cognoscant te &
credant tibi; sperent in te, diligant te, a-
dorent te, serviant tibi, & sic salvi fiant,
Per Jesum Christum Dominum no-
strum, in quo, per quem, & cum quo est
Deo Patri omnipotenti, in unitate Spi-
ritus sancti, omnis adoratio & bene-
dictio, honor & gloria ab omni creatu-
ra in sæcula sæculorum Amen.

Ex libello Precum per unum è Soc. J.
collectum, Pragæ impressum.

Gratiarum actio post Missam.

ANTIPHONA.

Trium puerorum cantemus hym-
num: quem cantabant sancti in camino
ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis duplicibus
tantum duplicatur, Et tempore Pasch-
ali additur in fine Alleluja.

Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino :
benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes , quæ super
cælos sunt, Domino : benedicite omnes
virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino : be-
nedicite stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Do-
mino benedicite omnis spiritus Dei
Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino :
benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina Dominos :
benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino :
benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino :
benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum. laudet &
superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino :
benedicite uniuersa germinantia in terra
Domino.

Beneꝝ

Gratiarum actio post Missam. 113

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestia & pecora Domino; benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino

Benedicite spiritus & animæ justorum Domino: benedicite sancti & humiles corde Domino

Benedicite Anania; Azaria, Misaël Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Psalms 150.

Laudate Dominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

G 3

Lan-

114 *Gratiarum actio post Missam.*

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri. Sicut erat.

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino igitur, benedicentes Dominum.

Deinde dicit Sacerdos.

Kyrie eleison. Christe eleis. Kyrie eleis. Pater noster. *ψ.* Et ne nos inducās in tentationem. *℞.* Sed libera nos à malo. *ψ.* Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. *℞.* Et sancti tui benedicant tibi. *ψ.* Exultabunt sancti in gloria. *℞.* Lætabuntur in cubilibus suis. *ψ.* Non nobis, Domine non nobis. *℞.* Sed nomini tuo da gloriam. *ψ.* Domine exaudi orationem meam. *℞.* Et clamor meus ad te veniat.

ψ. Do-

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigasti
flamas ignium: concede propiti-
us: ut nos famulos tuos non exurat
flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domi-
ne, aspirando præveni, & adjuvan-
do prosequere: ut cuncta nostra oratio
& operatio à te semper incipiat, & per
te cœpta finiatur.

DA nobis, quæsumus Domine, viti-
orum nostrorum flamas extin-
guere: qui beato Laurentio tribuisti
tormentorum suorum incendia supe-
rare. Per Christum Dom nostrum. *A.*

Oratio dicenda post Missam.

OMnipotens sempiterne Deus, con-
servator animarum, mundi que re-
demptor, me famulum tuum ante ma-
jestatem tuam prostratum benignissime
respice, & sacrificium, quod in honore
nominis tui pro salute fidelium, tam vi-
vorum quàm mortuorum, & pro pecca-
tis, & offensionibus meis obtuli, piissime
suscipe: iram tuam à me remove: gra-
tiam

116 *Gratiarum actio post Missam.*
tiam & misericordiam mihi concede :
januam paradisi mihi pande: ab omni-
bus malis me potenter eripe : & quid-
quid proprio commisi reatu clementer
indulge: & sic in hoc sæculo in præcep-
tis tuis fac me perseverare, ut dignus E-
lectorum tuorum gregi copulari effi-
ciar: te præstante Deus meus, cujus no-
men benedictum, honor, atque regnum
permanet in æternum, & in sæcula sæ-
culorum, Amen.

Commendatio ad B. V. Mariam.

O Beatissima, & dulcissima virgo Ma-
ria? mater Domini Jesu Christi ,
cujus idem veracissimum corpus & san-
guinem, ego miser & indignus peccator
sumere præsumpsi , precor te humiliter
& devotè, ut ad ipsum pro me interce-
dere digneris ; ut quidquid in hoc san-
ctissimo Sacramento ignoranter , aut
negligenter commisi , præcipuè verò
defectu veræ fidei, charitatis, devotio-
nis, attentionis, & reverentiæ, mihi suâ
pietate ineffabili , & misericordia ine-
narrabili, tuis sanctis meritis, & precibus
indulgere dignetur, Amen.

Lita-

LITANIÆ

De Nomine Iesu.

KYrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere.

Jesu Fili Dei vivi,

Jesu potentissime,

Jesu fortissime,

Jesu perfectissime,

Jesu gloriosissime,

Jesu mirifice,

Jesu jucundissime,

Jesu clarissime,

Jesu clarior sole,

Jesu pulchrior lunâ,

Jesu splendidior stellis,

Jesu admirabilis,

Jesu delectabilis,

Jesu honorabilis,

Jesu humillime,

Jesu paupertime,

Jesu mitissime.

Jesu patientissime,

G s

Miserere nobis.

Jesu

Iesu obedientissime,
 Iesu castissime,
 Iesu amator castitatis,
 Iesu amator pacis,
 Iesu amor noster,
 Iesu speculum vitæ,
 Iesu exemplar virtutum,
 Iesu decus morum,
 Iesu zelator animarum,
 Iesu refugium nostrum,
 Iesu pater pauperum,
 Iesu consolatio afflictorum,
 Iesu thesaurus fidelium,
 Iesu gemma pretiosa,
 Iesu armarium perfectionis,
 Iesu bone pastor ovium,
 Iesu stella maris,
 Iesu lux vera,
 Iesu sapientia æterna,
 Iesu bonitas infinita,
 Iesu gaudium Angelorum,
 Iesu Rex Patriarcharum,
 Iesu inspirator Prophetarum,
 Iesu Magister Apostolorum,
 Iesu doctor Evangelistarum,
 Iesu fortitudo Martyrum,
 Iesu lumen Confessorum,

Miserere nobis.

Iesu

Litania de Nomine Iesu.

119

Jesu sponse Virginum, Misere nobis.

Jesu corona Sanctorum omnium. Mis.

Propitius esto, Parce nobis Jesu.

Propitius esto, Exaudi nos Jesu.

Ab omni malo,

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

Ab insidiis diaboli

A peste fame & bello,

A transgressionem mandatorum
tuorum,

Ab incursum omnium malorum,

Per Incarnationem tuam,

Per Adventum,

Per Nativitatem tuam,

Per Circumcisionem tuam,

Per dolores tuos,

Per flagella tua,

Per mortem tuam,

Per Resurrectionem tuam,

Per Ascensionem tuam,

Per gaudia tua,

Per gloriam tuam,

Per dulcissimam V. matrem tuam,

Per intercessionem omnium San-
ctorum tuorum,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

Parce nobis Jesu.

66

Ag-

Libera nos Jesu

120 *Litania de Nomine Iesu.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis Iesu.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

ψ. Et ne nos inducas in tentationem. R.

Sed libera nos a malo. ψ. Domine exaudi
orationem meam. R. Et clamor me-

us ad te veniat. ψ. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui gloriosissimum Nomen
Iesu Christi Filij tui Domini no-
stri fecisti fidelibus tuis, summo suavi-
tatis affectu amabile, & malignis spiri-
tibus tremendum, atq; terribile: conce-
de propitius, ut omnes qui hoc nomen
Iesu devotè venerantur in terris, sanctæ
consolationis dulcedinem in præsentibus
percipiant, & in futuro gaudium exul-
tationis & interminabilis jubilationis
obtineant in cælis. Per eundem Chri-
stum Dominum nostrum, Amen.

Ore-

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui dixisti ,
Petite & accipietis: quærite & in-
venietis; pulsate & aperietur vobis; quæ-
sumus, da nobis petentibus divinissimi
tui amoris affectum, ut te toto corde,
ore, & opere diligamus, & à tua laude
nunquam cessemus. Qui cum Patre &
Spiritu sancto vivis & regnas Deus: per
omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES POST CE-
lebrationem & Communionem
dicendæ.

Oratio S. Thoma de Aquino.

Gratias tibi ago, Domine sancte,
Pater omnipotens, æterne Deus,
qui me peccatorem, indignum famu-
lum tuum, nullis meis meritis, sed solâ
dignatione misericordiæ tuæ satiare
dignatus es pretioso corpore & sangui-
ne Filij tui Domini nostri Iesu Christi.
Et precor te, ut hæc sancta communio
non sit mihi reatus ad pœnam, sed inter-
cessio salutatis ad veniam. Sit mihi ar-
matura fidei, & Scutum bonæ volun-
tatis. Sit vitiorum meorum evacuatio,

122 *Orationes post Celebrationem.*
concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio: motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium; perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhæsiō, atque finis mei felix consumatio. Et precor te ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consumata, & felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio S. Bonaventuræ.

TRansfige, dulcissime Domine Jesu, medullas & viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, verâ, serenâque & Apostolicâ sanctissima charitate: ut langueat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui; te concupiscat, & deficiat

ciat in atria tua, cupiat dissolvi, & esse tecum. Da ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum substantialem, habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ; fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usque in finem; & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus

124 *Orationes post Celebrationem*
cibus meus, refectio mea, refugium me-
um, auxilium meum, sapientia mea,
portio mea, possessio mea & thesaurus
meus: in quo fixa & firma, & immobili-
ter semper sit radicata mens mea, & cor
meum. Amen.

Rythmus S. Thomæ ad S. Eucharistiam.

A Doro te devotè latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tutò creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic later simul & humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam præstans hominì,
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulcè sapere.

Pie

Pie Pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla saluum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat istud quod tam sitio,
Ut te revelatâ cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

Gratiarum actio post Missam.

O Dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ, & jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signanter verò, quia hodie me dignum fecisti verum & immaculatum corpus, & sanguinem tuum pretiosum consecrare, pettractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium ad tuam gloriam, & in remissionem omnium peccatorum, tam meorum, quam illorum pro quibus orare, sacrificare, & offerre proposui; illoque in salutem & consolationem animæ meæ cibari, & nutrirî: qua propter verè dicere audeo, cibus meus Christus, & ego ejus. Multiplico ergo, & quotiescunq; respiro multiplicare intendo meam voluntatem

126 *Orationes post Celebr. & Com.*
tatem in infinitum in tuis laudibus.
Precorque Beatissimam V. Angelos,
Sanctos, Sanctas, & creaturas universas
pro me immensas tibi referre gratias :
immò quia istæ minimè sufficiunt, Te
supplico, ut tibi ipsi gratias agere, te lau-
dare, & glorificare complaceas: & quia
dignatus es istam indignam animæ me-
æ, tuam tamen facere habitationem,
dignare quoque apud ipsam perpetu-
am facere mansionem. Efficce me ho-
minem secundum cor tuum, uni me ti-
bi intimè & totum transforma, & trans-
muta in te. Salva me, Jesu Christe, &
cunctam à me hostis antiqui depelle
nequitiam, per tuam innocentissimam
passionem. Oro tandem, ut digneris
gratias & indulgentias omnes, quas hoc
sacrificio, vel communionem mediante
acquirere, & lucrari possum, concedere,
tam mihi, quam aliis vivis & defunctis,
pro quibus applicare proposui, quia te
ipsum, & pro ipsis exoro, pro quibus &
tu vis, & sanctissimus Pontifex intendit
hac de causa me debere orare. Amen.
Hæc ex Missali Romano & Thesau-
ro Sacerdotum,

ORA-

ORATIONES

Quædam aliæ selectæ post
Communionem.

Oratio post Communionem.

Ineffabilem misericordiam tuam ;
Domine Jesu Christe, humiliter exo-
ro, ut hoc sacramentum corporis & san-
guinis tui, quod indignus suscepi, sit
mihi purgatio scelerum, sit fortitudo
fragilium, sit contra mundi pericula fir-
mamentum, sit impetratio veniæ, sit
stabilimentum gratiæ, sit medicina vi-
tæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra
debilitatem fomentum, sit viaticum
meæ peregrinationis. Euntem me con-
ducat, errantem me reducat, reverten-
tem me suscipiat, titubantem me tene-
at, cadentem me erigat, & perseveran-
tem me in gloriam introducat. O altis-
sime Deus! beatissima præsentia corpo-
ris & sanguinis tui sic immutet & pala-
tum cordis mei, ut præter te nullam
unquam sentiat dulcedinem, nullam
amet pulchritudinem, nullum quærat
illicitum amorem, nullam desideret
consolationem, nullam admittat
unquam

unquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timor crudelitatem, Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio.

Gratias tibi ago, Domine piissime, quod me ad officium sacerdotale elegisti. Gratias tibi ago, dulcissime Deus, quod me tuo dulcissimo corpore & sanguine refecisti. Gratias tibi ago, Domine clementissime, pro devotione qua me in hac Missa specialiter respexisti: Gratias tibi ago, benignissime Deus quod me protegendo à periculosis negligentis custodisti. Mi, Domine Deus ecce pro gratissima electione, pro tam piissima respectione, pro tam piissima respectione, pro tam benignissima protectione & custodia, tibi, optime Deus, ex toto corde gratias ago, te benedico, te laudo, te glorifico in æternum. Eja nunc oro, piissime Deus, ut sit mihi dulcissimum Sacramentum, contra omnium peccatorum meorum vulnera, efficacissimum medicamentum, sit mihi, benignissime Deus, hoc dulcissimum
Sacra-

Sacramentum, omnis virtutis & gratiæ victoriosissimum complementum. Sit mihi, piissime Deus, hoc dulcissimum Sacramentum, tam in vita quam in morte, contra omnia pericula, validissimum tutamentum, Sit mihi, dulcissime Deus, hoc amantissimum Sacramentum, ad æternam beatitudinem, solidissimum fulcimentum. Mi, Domine Deus, per sumptam, quæso, Eucharistiam, da mihi, ut à peccatis emundatus, merito fœcundatus, sine bono consumatus, tecum in perpetuum sim beatus, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Cordialis gratiarum actio.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? O Jesu mihi infinitè amabilis, totis votis desiderabilis, Deus meus, amor meus! Unde mihi, tam indigno servo tuo, tanta dignatio? Liceat mihi modò res omnes creatas invocare, ut meo nomine, meisque verbis tibi gratias agent, ingentes, infinitas: aut certè (ut supra vires ausim aliquid) liceat mihi cælestes illos spiritus; tuis antiquæ laudis assuetos & peritos præ-

GONES

cones compellare, ut inter amœnissimas divinissimasque illas voces, meam quoque quamvis ineptissimam commisceam, toto tamen affectu concinam: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: nimirum sanctificeris absque fine, & modo colaris & exalteris ab omnibus, super omnia, propter te in æternum. Atque illud saltem fit, quod pro desiderio qualicumque meo rependam: nam quid ultra à me miserrimo expectes? ut tanto beneficio utrumque respondeam, qui me tot titulis indignum, tot nominibus debitorem, non modo invisere, sed & intimâ tuâ præsentia recreare dignaris. Verum quid, quod audiam vel Apostolorum Principem ad tuam præsentiam sanctâ quadam formidine corripì, ac protestari: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine? Ah! quantò mihi potiùs dicendum illud sit, nosti: sed & memineras à te illud pronuntiatum, non veni vocare justos, sed peccatores. Horum nimirum gratiâ in hunc mundum venisti: immò tu es benignissimus ille Pater, qui peccatorem videns à longè,
mille-

miseri-
eam
om-
cin-
mi-
tifi-
ex-
op-
llud
li-
ul-
nto
qui
bus
&
ris.
to-
am
ac
ca-
o-
ne-
on
o-
m
lle
e,
e.

miseri-
cordia motus accurris, & ruis in
oscula & amplexus, Tu asseruisti ma-
jus in cœlo gaudium esse super uno pec-
catore pœnitentiam agente, quàm su-
per nonaginta novem justis, qui
non indigent pœnitentia. Sim ego
peccator, sed tu sis misericors Dominus
atque adeo inecum maneas, quia bona
mibi est præsentia tua, modò sit ea mi-
hi salutifera, ut qui animæ pabulum
esse voluisti, eodem te reficiat, te nutri-
at, te emendet! sim denique tuus, sicut
tu dignatus es esse meus! O Jesu!

Alia ad Deum Patrem.

Benedic anima mea Domino, & om-
nia quæ intra me sunt, nomini san-
cto ejus, O mi Deus, qui modò intra
me est. Homo Deus, Filius tuus est ille
vices meas obeat; ille dignè pro me be-
nedicat nomini sancto tuo, ille intra
me, & in me, amet te, glorificet te, ado-
ret te, gratias agat, deferatque tibi dig-
num te honorem; idest infinitum. Per
illum quippe ut Majestatem tuam
laudant Angeli, adorant Domina-
tiones,

riones ; quidni & per illum cum intra
 me sit, atq; a deo mihi jam consanguineus
 & concorporeus factus, omnem eum
 cultum tibi deferam , qui tuam decet
 Majestatem? Adoro itaq; te Deus æter-
 ne, te glorifico, magnifico, laudo, bene-
 dico, gratias tibi ago, pro omnibus be-
 neficiis sanctissimæ illius Humanitati,
 B. V. ejus Matri , omnibus Sanctis &
 justis, mihi deniq; omnium mortalium
 postremo concessis, gratitudine & affe-
 ctu illius , qui omnem defectum & in-
 sufficientiam nostram meritorum suo-
 rum plenitudine abundè potest supple-
 re. Peto ad hæc ut virtus sacrificij. quod
 indignissimus obtuli , ad eos quoque
 transeat, pro quibus jam litavi, ad Pur-
 gatorij animas, ut expiatoriis liberen-
 tur flammis, speciatim N. Ad peccato-
 res, ut ad frugem redeant. Ad Hæreticos
 Ethnicosq; , ut ad fidem convertantur.
 Ad miseros, afflictosque ut divinis sola-
 tiis juventur. Ad tentatos, vel ex tenta-
 tione faciant proventum. Ad justos de-
 nique, ut in virtute & mandatorum
 custodia perseverent. Amen.

Ad

Ad B.V. Mariam.

Obesecro etiam te, Virgo Maria, ut pro me, & mecum reddas Domino Deo debitas laudes, & gratiarum actiones pro inenarrabili dono & Sacramento ejus à me nunc percepto: & facias illud mihi, & omnibus, pro quibus orare teneor, ac intendo, prodesse ad omnimodam salutem, & ad honorem hujus S. Sacramenti, me, & omnes meos speciales, in fidelem maternam tuam curam, directionem, & protectionem suscipias, & conserves, & in omnibus juxta beneplacitum Filij tui, me dirigas & perficias, omnesque petitiones meas salutares citius ad effectum perducere procures, faciasque me hic perfecte ab omni culpa & pœna purgari, & post mortem tecum in gloriam, & fruitionem Filij tui, in æternum suscipi Amen.

ALIA DEVOTIO POST SACRUM vel Communionem.

*Litania de Venerabili Sacramento
Altaris.*

KYrie eleison. Christe eleison.
KYrie eleison. Christe audi nos.

H

Christe

Ad

134 *Litania de Venerabili*
Christe exaudinos. Pater de cælis De^o.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Panis vivus , qui de cælo descen-
disti,
Deus absconditu, & Salvator,
Frumentum electorum ,
Vinum germinans Virgines,
Panis pinguis, & deliciae Regum,
Juge Sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis substantialis,
Verbum caro factum,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Præcellsum & venerabile Sacra-
mentum,
Cæleste antidotum, quò à pecca-
tis præservamur,
Stupendū super omnia miraculū ,

Miserere nobis.

Sa.

Sacramento Altaris.

139

Sacratissima Dominicæ passionis
commemoratio,
Donum transcendens omnem
plenitudinem,
Memoriale præcipuum divini a-
moris,
Divinæ affluentia largitatis,
SS. & augustissimum mysterium.
tremendū ac vivificū sacramentū
Panis omnipotentia Verbi caro
factus,
Incruentum sacrificium,
Cibus & Conviva,
Dulcissimum convivium, cui as-
sistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens & oblatio,
Pharmacum immortalitatis;
Spiritualis dulcedo in proprio
fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientiū,
Pignus futuræ gloriæ,
Propitius esto, Parce nobis Domine
Propitius esto, Exaudi nos Domine
Ab indigna corporis & sanguinis tui
susceptione, Libera. H 2 A cons

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Sa-

A Concupiscentia carnis,
 A Concupiscentia oculorum,
 A Superbia vitæ,
 Ab omni peccandi occasione,
 Per desiderium illud, quo hoc
 Pascha cum Discipulis mandu-
 care desiderasti,
 Per summam humilitatem, qua
 Discipulorum pedes lavisti;
 Per ardentissimam charitatem,
 qua hoc divinum Sacramentum
 instituisti,
 Per sanguinem tuum pretiosum,
 quem nobis in Altari reliquisti,
 Per 5. vulnera hujus tui corporis
 sacratissimi, quæ pro nobis sus-
 cepisti.

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut in nobis fidem, reverentiam, & de-
 votionem hujus admirabilis Sacra-
 menti augere & conservare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut ad frequentem usum Eucharistiæ
 per veram peccatorum confessionem
 nos perducere digneris, Te rogamus.

Ut nos ab omni hæresi, perfidia, ac cor-
 dis cæcitate liberare digneris, Te ro-
 gamus audi nos.

Ut

Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos & cælestes fructus nobis imperterriti digneris, Te rogamus audi nos.

Ut in hora mortis nostræ hoc cælesti viatico nos confortare & munire digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei: Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis. &c.

A Ve verum corpus natum de Maria Virgine, verè passum immolatum in cruce pro homine, cujus latus perforatum, unda fluxit cum sanguine. Esto nobis prægustatum, mortis in examine. O dulcis! ô pie! ô Jesu Fili Mariæ! tu nobis miserere.

Oremus,

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis. &c.

Ant-

Libera nos Domine.

et
a.
s,
s.
ia
m
is.
or-
o-
ur

A Nima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me.
O bone Jesu exaudi me,
Intra Vulnera tuâ absconde me;
Ne permittas me separari à te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Angelis & Sanctis tuis
Laudem te, in sæcula sæculorum. **A.**

*Suspiria S. Francisci Xaverij
 Indiarum Apostoli.*

O Deus! ego amo te;
Nec amo te, ut salves me,
Aut, quia non amantes te,
Æterno punis igne.
Tu, tu mi Jesu, totum me:
Amplexus es in cruce:
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem, & hæc propter me,
Ac pro me peccatore,

Cur

Cur igitur non amem te ?

O Jesu amantissime!

Non ut in cœlo salves me,

Aut ne æternum damnes me,

Nec præmij ullius spe,

Sed sicut tu amasti me,

Sic amo, & amabo te;

Solum quia Rex meus es,

Et solum quia Deus es. *Alia.*

O! Jesu mi dilecte,
Amabo te perfecte,

Cum me amoris telo

Transfixeris è cœlo.

Transfige, ah! transfige me

O! Jesu dilectissime.

Item alia.

1. O! mea mihi viscera ,
Vos rumpite amores,
Miscebo tanquam munera
Amoribus dolores.

2. O Deus! Deus! Deus!
Tu totus; totus meus,
Sim ego totus tuus,
Et unquam nunquam meus.

3. Audi Jesu, quid offeram,
Cum de meo nihil habeam :

Tota mea oblatio

Sit tua sancta Passio. H 4 Petis

Petitiones devota S. Augustini.

Domine Jesu noverim me, noverim
 Nec aliquid cupiam nisi te ; (te,
 Ut odiam me, & amem te,
 Quidquid agam propter te,
 Humiliem me , exaltem te ;
 Nihil cogitem nisi te ;
 Mortificem me, & vivam in te ;
 Quæcunque eveniant, accipiam à te ;
 Persequar me, sequar te ;
 Semper optem sequite ;
 Fugiam me, confugiam ad te ;
 Dignus sim defendi à te ;
 Timeam mihi, timeam te ;
 Simque de electis à te,
 Diffidam mihi, fidam in te ;
 Obedire velim propter te ;
 In nullo afficiar, nisi in te ;
 Aspice me, ut diligam te ;
 Voca me, ut videam te,
 Et in æternum potiar te.

Oratio.

Absorbeat , quæso Domine Jesu
 Christe, mentem meam ignita &
 mellifluaris amoris tui ab omnibus quæ
 sub cælo sunt, ut amore amoris tui mo-
 riar, qui amore amoris mei dignatus es
 in ligno crucis mori. Amen.

Hæc ex variis libellis.

Devotio rythmica post Comm. 141
ALIA FERVENS DEVOTIO
post sacram Communionem,
Vel quovis tempore, maximè verò co-
ram venerabili Sacramento
exercenda.

O Mi Iesu Fili Dei,
O thesaure cordis mei,
Meum ò delicum!
O quàm pulcher es, & suavis,
Totus dulcis, nihil gravis
Merum merum gaudium!
Salutatio ad Iesum.

Salve saluberrima
salus infirmorum;
Salve lux pulcherrima,
In tenebris caecorum.
Salve desiderium
Patrum antiquorum.
Salve te amantiū,
Amor amicorum.
Salve candidissime
Panis Angelorum,
Salve sapor optime
In corde devotorum.
Manna es, ex simila,
Gustus suavitatis,
Satietas suavissima,
Fame fatigatis,
En verè totum habeo,
Quem avidè sitiivi;
Teneo possideo,
Quem valdè concupivi.
Tibi quid retribuam, Pro tam chatis donis,
Qui

Qui mentem meam vacuum,
Tàm magnis imples bonis
Repetitur:

O mi Iesu Fili Dei

O Thesaure cordis mei
Meum ô delictum!

O quàm pulcher es & iuavis
Totus dulcis, nihil gravis
Merum, merum gaudium!

GRATIARVM ACTIO.

Simus ergo, quæso, grati, Sacræ Dei Ma-
iestati Ob hoc beneficium! Gens Reli-
giosa plaude, & triumphos hos cum
laude, Mecum nunc concelebra. Mihi
namq; præparatur Cælum, pariter, fun-
datur, Pro me domicilium. Meum est hic
exultare Iesum meum collaudare, Ob
hoc beneficium! Sed & vos, ô Cherubini, Vos
Throni, vos Seraphini, Virtutes, Archangeli,
Potestates, Dominatus, Et cælorum
Principatus, Vosque simul Angeli: Huc
adeste jubilantes, Exultantes, triumphan-
tes Novæ cæli cantico Tristis hyems jam
transiit, Omnis imber præterivit, Reces-
serunt nubila. Venit tempus jubilandi; Venit
dies exultandi, Rediere gaudia, Omnes
dicant mente totâ, Inter preces, inter vo-
ta, Vivat Iesus, perpetim! Et cum eo jubi-
lemus, Et cum Angelis cantemus Nu-
minis Andropyfin. Vivat, regnet, honore-
tur, Exaltetur, & lætetur, Nunc & in per-
petuum, Repetitur.

O mi

O mi Iesu Fili Dei,
 O thesaure cordis mei
 Meum ô delictum!
 O quàm pulcher es, & suavis
 Totus dulcis, nihil gravis,
 Merum, merum gaudium!

Affectus cordiales.

Quàm pulcher es Dilecte mi! quàm bonus es, ô unica delicia mea, Iesu Christe! Te diligo, O vita mea! O cor meum! O gaudium meum! O suavitas summa! O solum & omne bonum: O Deus meus! d te suspiro clamo, anhele, te stringo intus in medullis, & totis præcordiorum amplexibus, quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor æternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta Et quid tandem me poterit divellere ab amore tuo? an voluptas brevis, opes caducæ, honores falsi? an umbra umbrarum, nugæ nugarum, istæ & illæ non facient, O Iesu bone; non facient; da tu gratiam, O amor meus! O Deus meus!

ASPIRATIONES DEVOTÆ, IN FORMA Coronæ Christi,

Si semper addideris Pater noster.

O bone Iesu! Verbum Patris, converte me.
 O bone Iesu! Agne Dei, purifica me.
 O bone Iesu! Magister meus, doce me.
 O bone Iesu! Præceptor meus, instrue me.
 O bone Iesu! Princeps pacis, governa me.
 O bone Iesu! Refugium meum, suscipe me.
 O bone Iesu! Patientia mea, conforta me.
 O bone Iesu! Consolatio mea, solare me. O

O bone Iesu! lux mundi illumina me,
 O bone Iesu! pax mea recrea me.
 O bone Iesu! Rex meus, defende me,
 O bone Iesu! panis vivus de calis descen-
 dens faucibus me
 O bone Iesu! gaudium meum, visita me.
 O bone Iesu! adiutor meus, adjuva me.
 O bone Iesu! protector meus protege me.
 O bone Iesu! amator meus, transforma me.
 O bone Iesu! via salutis dirige me,
 O bone Iesu! veritas mea, informa me.
 O bone Iesu! vita mea vivifica me,
 O bone Iesu! fili David, suscipe me.
 O bone Iesu! Pater meus, custodi me,
 O bone Iesu! Salvator meus, salva me.
 O bone Iesu! mediator meus, interpella pro.
 O bone Iesu! propitiatio mea, intra vulnera
 tua absconde me.
 O bone Iesu! iustitia mea, iustifica me.
 O bone Iesu! iudex meus, absolve me.
 O bone Iesu! Dominus meus, & Deus me-
 us posside me
 O bone Iesu! sanctificatio mea, sanctifica.
 O bone Iesu! vita perennis, in numerum
 Electorum tuorum, recipe me.

Pete Benedictionem.

Dignare, Domine Iesu, largam mihi da-
 re benedictionem, uberemq; gratiam,
 tibi semper, & in omnibus sic placen-
 di, ut te pane Angelorum quotidie dignè
 fruatur in terris, æternùm beatè in cœlis.
 Amen, ó Iesu! Amen.

FINIS.

ULB Halle

3

007 392 184



VD 17



~~IB 103~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.


IB 103.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.









PRAXES
VARIÆ
PRO PIIS SA-
CERDOTIBVS
CELEBRATURIS.

Ex diversis impressis opus-
culis huc comportatæ, quarum una
vel pluribus Sacerdos pro deo
votione temporis opportu-
nitate uti potest,

*Quæ etiam à non Sacerdotibus, maxime
verò Communicantibus paucis mu-
tatis adhiberi possunt.*

Prodiertunt primò cum approbatione
Superiorum Hanoveræ. Nunc
verò emendatæ & auctæ.

Colonia Agrippina.
Sumptibus Hæredum JOANNIS
WIDENFELT & GODEFRI-
DI de BERGES.
NO M. DC. LXXXVI